


quidem quindecim ferè diebus, semen verò post Vergilias & ipsæ reddunt. Cedri, iuniperus, & ilex anniferæ habentur, nouisq; fructus in ijs cum autumno pendet. In maxima tamen admiratione pinus est, gerit fructum maturescētem: habet & proximo anno ad maturitatem venturū, ac deinde tertio, nec vlla arbor
5 auidius se promittit. Quo mense ex ea nux decerpitur, eodem maturescit alia. Fructū arborū solę nullum ferunt tamarix scopis tantū nascens, populus, alnus, vlmus, attinia, alaternus. Infelices autē dānatæq; religione, quę neq; serūtur vnq;, neq; fructum pariunt. Nouellæ arbores fructu carent quandiu crescunt. Perdunt autem facillimè ante maturitatem ficus, amygdala, malus, pyrus. Ocyssimè au-
10 tem salix amittit semen, antequā omnino maturitatem sentiat, ob id ab Homero dicta est ὀλισίκαρος, id est frugiperda. Sed iam ad genus humile noster se cōuertat sermo. Herbæ quædam paludibus enascuntur, aliæ in lacubus exiliūt, aliæ in fluminū vadis emicant, quædam palustres omnino spectantur: quædam in aquis degere nequeunt & humentes horrent tractus, aridæque loca sequuntur: quædā
15 litora ripasq; desiderāt. Non desunt quæ vitam ancipitem agant. Sunt quæ segetibus nasci cupiant, & quæ vinetis lætentur. Aliæ quasi vernaculæ iuxta vrbes macerijs aut ruderibus proueniūt. Plantago palustribus locis enascitur secus ageres atq; septa, sed in humidis multo lætior exurgit. Ranunculū humidis gaudet limitibus. Lauer riuorum aquis innatat, item Cardaminacū sion, quasi cum
20 illo videatur quoddā inijsse cōsortium, comes & alumnus riguorū. Helioselinon humidis locis emergit. Sphondylion palustribus & vligine cōmadentibus locis erumpit. Alisma aquosos amat tractus. Lysimachia gaudet aquosis. Chelidonio minore limites humidi virent. Epimedion madentibus profilit, aquosis verbena- ca. Cyperus palustribus locis exit, item typha & circa resides aquas. Nymphæa
25 paludibus & stagnantibus vndis prodit, folijs parum extra aquam eminentibus, alijs in vado cōditis. Malobathrū in paludibus Indiæ gignitur, aquis innatās palustris modo léticulę. Oryza palustri situ & vliginoso familiaris. Hippolapathon paludibus vernaculum spectatur. Olusatrum opacis iuxta paludes emicat. item Scordion, quanquam & in montibus inueniatur. Palustris lens aquis residibus &
30 nullo lapsu repentibus innatat. Lotus Aegyptia traditur in aquis vespera condi, totāmq; abire in lacum, deinde ad exortum solis emergere extra aquam. Aegyptia quoque faba lacubus infixata protollitur. Tussilago gignitur circa fontes, ac subesse aquas credunt, & hoc habet signum aquileges. Hipposelinon nascitur in opacis, & iuxta paludes. Conyzæ genus tertium humentibus exhilaratur locis.
35 Millefolium, quod stratioticen cognominant, palustria flagitat. Tribuli genus id quod aquis familiare virescit, non nisi amnibus gignitur, coma duntaxat aquis extante, aculeis vado conditis. Adianton palustribus & vmbrosis circa parietum aspergines & fontium specus exoritur: nec secus filicula asperginosos sequitur tractus. Tam lacunosis promiscuè q̄ palustribus erumpunt cyperus, plantago,
40 alisma, lens palustris, & aquatilis tribulus. Potamogeton amat nasci aquoso videlicet & palustri, inde nomen quasi amnis vicinū retulit. Sūt quæ maris afflatu vel aspergine gaudeāt: quare vel in continente collibus mari vicinis nascuntur, vel scopulis & crepidinibus, aut locis quæ allidit vnda recedēsq; dimittit. Heleniū Aegyptium secundum mare collibus innascitur. Critamum in maritimis
45 petrosis. Chamæleo niger maritima diligit: item artemisia. Aloë maris insulis vt

in Andro prouenit. Androsaces quoq; tragon, corniculatum papauer, tertium
 genus apollinaris in maritimis prodeunt. Solanum somniferum in petris, nec
 longè ab afflatu maris. Dorycnion verò scopulis non procul à mari prominens
 tibus profilit. Rhododendron nascitur in maritimis secundum amnes: itidem
 bryon scopulis testaceisq; non procul à mari. Tripolium in maritimis exurgit.
 vbi allidit vnda, iterumq; retro comeat, neq; in mari planè, neq; in ficco. Glaux
 quoq; iuxta mare frequè inuenitur. Hippophaës & hippophæston in maritimis
 sabulosisq; gignuntur. Tithymalus paralius maritimos natales suo cognomen-
 to manifeste fatetur. Peplis, alypon, marinis locis gaudent. Empetron montibus
 maritimis gustu non insulso: sed quo propius terreno fuerit, eò sentitur amarius.
 Seriphum maris litora conuestit, inde marini absinthij duxit appellationè. Sunt
 & quæ velut fluuiatiles vel si placet amnicæ litoribus & ripis producatur. Vitex
 conuallibus secundum amnes nascitur. Hydropiper secundum aquas stagnantes,
 aut pigro lapsu repètes exilit, ambitiosusq; sequitur riuos. Rha quod ponticum
 cognominant, latinis radix pontica dicitur, ab Rha flumine nomen traxit, in cuius
 supercilijs gètili huius regionis vocabulo gignitur radix, ad multiplices me-
 delarum vsus proficiens. Huic vicinus Tanais qui inter Caucasas oriens rupes per
 sinuosos labitur circumflexus, Asiam ab Europa determinans, in Mæoticis tan-
 dem paludibus delitescit. Populi nigrae litorales fluuiorum etiam incolæ visun-
 tur: in quas Phaëtontis sorores fratris mortem lugentes versas poetæ fabulatur:
 hinc populnae profluentes lachrymae stillantésq; sole rigescunt, densanturq; in
 electra, quæ lucidus amnis excipiat. Terrestris herbæ aut arida loca amant, aut
 aspero, tenui & ieiuno gaudent solo, aut sabulosa vel rudera aut saxosa sequun-
 tur. Asarum lætatur macris & sitientibus locis. Helenium opacis nascitur & si-
 ticulosis. Tilia tractibus asperis prouenit. Lycium solo gracili ieiunoque nasci-
 petit. Cyclaminos altera situs diligit asperos. Capparis gracilibus asperisq; di-
 uagari postulat. Eryngium capestribus solo gracili profilit. Salvia gaudet aspe-
 ris. Nepeta montes adamat. Thymum petroso gracilibusq; solo nasci vult. Satu-
 reia asperis gracilibusq; prodire cupit. Baccaris gracili solo nec humente prorū-
 pit. Syluestris ruta mōtes abditos quærit, quare quæ in Macedonia proximè flu-
 men Haliacmon nascitur, venenatam tradunt, & qui ederint, euadere negatur,
 quòd montanus is est locus & viperis scatès. Ligusticum altissimis asperrimisq;
 montium crepidinibus, item opacis quibus rigua subsunt, exit. Cuminum sylue-
 stre gigni solet in collibus. Smyrnion saxosis collibus & angulis terrenis exurgit.
 Petroselinon præruptis crepidinibus exurgit in Macedonia. Libanotis saxosis &
 asperis emicat. Alysson in montanis gracilibus exoritur. Trisago petrosus exul-
 tat & asperis. Stachys montes & aspera diligit. Phalangium gignitur in collibus.
 Onosma in asperis. Anthemis macro solo iuxta semitas verè legitur. Lithosper-
 mon eminentibus locis macro solo contentum est. Lonchitis asperis & sitientibus
 locis enascitur. Hypericon macro quidè solo sed cultu gaudet. Polemonia mō-
 tibus & macris. Polygonaton montibus familiare cōspicitur. Holosteon collibus
 vernaculum. Chrysome in opacis petrosisq; gignitur. Stratiotes qui myriophyl-
 lon, id est millefolium cognominatur, in agris macriusculo solo prouenit. Viola
 purpurea in opacis & asperis inuenitur. Veratrum candidum nascitur in monti-
 bus & asperis: itè tithymalus characias. Phyllitis in opacis hortisq; prouenit. Sūt

& quæ velut ancipiti vita donatæ nunc humentibus & riguis, nunc montosis & asperis exurgât. Vitex cõuallibus propter amnes, item aspero loco prodit. Chamæleo niger campestribus siccaneis, collibusq; necnon etiam maritimis viret. Smyrnio tam humidi tractus quàm saxosi montes pubent. Scordio tam montes quàm paludosa vestiuntur. Smilax tam palustribus quàm asperis exit. Sunt quæ nasci in campis & segetibus velint. Aliæ in vinetis, aliæ in macerijs & rudibus prope oppida emergunt. Aphaca in aruis oritur. Orobanche inter legumina prouenit & ea strangulare solet, vnde nomen est adepta. Eryngio campi sca-
 5 tent. Calamintha cãpestribus exilit. Gith frumêtaceus ager viret, item buphthal-
 10 mo. Leontopetalon in aruis frumentario agro nascitur. Elatine in segetibus & cultis. Phœnix herba in aruis, quanuis & tegulis quoq; recens oblitis. Hypecoon in segetibus & aruis emicat. Pysyllium in aruis ac terrenis inuenitur. Thalictron, item verbascum. Stratiotes chiliophyllos cãpestribus exilit. Buglossum sabulosis & planis assurgit. Telephiõ nascitur inter vites & locis cultis, sic & syluestris por-
 15 tulaca. In vineis sideritis tertium genus inuenitur, quanquam interdum in macerijs. Peplos inter vites aut in hortis gignitur. Helxine prodit in vineis, sepibus, & parietinis. Sunt etiam quæ in macerijs & rudibus, & iuxta oppida sepimentis emicant. Thlaspe in monumentis, scrobibus, & vallis erumpit. Erysimum circum vrbes in rudibus hortisq; gignitur. Marrubium collapsis ædificijs rudera-
 20 tóque solo gaudet. Buphthalmos & chrysanthemon propter oppida nascuntur. Tribulus quoque & apollinaris genus tertium rudibus hærent. Galiopsis prouenit circa sepes, ædificia, semitas, & rudibus passim. Natales arborum, herbarum, fruticum ita se habent.

De coronarijs, & vsu coronarum.

Cap. XIII.

25  Oronæ primum inter sacra tantum & bellicos honores suũ nomen vendicarunt, quum è floribus fieret ferta. Arborum ramis coronari in certaminibus mos erat primum, postea variari cœptum est mistura versicolore, florũmq; inuicẽ odores colorẽsq; successere: sic coronis è floribus receptis paulo mox subiere que dicuntur hybernæ, tum cũ terra flores negat, ramento è cornu
 30 tincto: paulatimq; subrepit appellatio corollis, inter initia propter gracilitatem nominatis, mox & corollarijs. Sunt qui coronas à choro, licet careat aspiratione, dictas putent, siue quòd honorent eos quibus imponuntur. Auctorem & inuentorem coronæ Ianum biforem fuisse Græci prædicant: eamque in Græcia
 35 factitatam à Stephano primũ asserunt. ob id & nomen fertis datum, vt stephani vocarentur. Militares multorum generum veteribus vsurpatę sunt. Triumphales quæ temporibus antiquis propter paupertatẽ laureæ fuerũt, postmodum ex auro fieri cœptę sunt, quæ Imperatori victori ob honorẽ triumphis præferebantur. Oleagineis coronis ministri triumphantium donabantur, quòd Minerua dea
 40 belli putaretur. Vtebantur qui non fuerant in prælio, sed triumphum procurabant. Obsidionalis corona est, quæ dabatur Imperatori, qui obsidione liberauerat hostibus obsessos. ea fiebat ex gramine viridi ex eo loco decerpto, in quo erant inclusi. hæc magnæ authoritatis fuit. Herbam victorię signum fuisse apud antiquos constat. hinc herbam dare Plauto significat se victum fateri, quod est anti-

quæ & pastoralis vitæ indicium. Nam quum in prato cursu aut viribus contendebant, cum erant superati, ex eo loco in quo certamen inierant, decerptâ herbam aduersario tradebant. Inter obsidionalem & ciuicam hoc intererat, quod altera singularis salutis esset, altera diuersorû ciuium seruatorû. Ciuica, ilignea fuit frondem habens perennem. hanc dabat testem vitæ salutisque perceptæ ciui, à quo liberatus fuerat in prælio. ea è fronde querna texebatur, quoniam cibus victusque antiquissimus quercus capi sit solitus. Ex ilice quoque factitabatur, quod genus superiori proximû est. Ciuica dignus censebatur qui ciuem seruasset, ut à fortiter pugnantibus retineri non quiuerit. Myrtea corona Papyrius usus est, quod Sardos in campis Myrteis superasset. Muralis erat, quæ ab Imperatore donabatur ei qui primus murum subiisset, vique oppidum hostium ascendisset: idcirco quasi muri pinnis erat decorata. Castrensis, qua donauit Imperator eum, qui primus hostium castra pugnans introiisset. Nauali corona maritimo prælio solebat donari, qui primus hostium nauem armatus transiisset, ea quasi nauium rostris erat insignita. Muralis, castrensis, & naualis ex coronario auro factitari solebant. Oualis corona erat myrtea, quam gerebant Imperatores qui urbem ouantes introirent, cum bella non erant rite indicta aut sine sanguine confecta. Huic aptam Veneris frondem crediderunt, quod non Martius sed quasi Venerius quidam triumphus foret. Ouandi verò non triumphandi gratia donabatur, quum vel bella cum hoste non iusto sunt gesta, aut subito deditioe facta, incrueta victoria successit. Fuerunt & pactiles & sutiles coronæ solennes etiam cœnis. Transiere deinde ad rosarias, eoque luxuria processit, ut non esset gratia nisi mero folio, sutilibus mox petitis ab India. Laudatissimæ habebantur quæ ex folio nardi necerentur. Damnarunt coronamentorum usus Mnestheus atque Callimachus medici, quod nocerent capiti: quoniam & in hoc est aliqua valetudinis portio, in potu atque hilaritate præcipuè odorum vi subripiente fallaciter solertiam. Mos tamen antiquis inoleuit, ut post cœnam circumferreretur conuiuis: sed aut frondibus arborum ut lauri, hederæ struebantur, aut herbarum floribus versicolore comistis. Illas grauius viris dignas putauit Ammonius, has ludicras magis puellarumque virginibus ac fœminis accommodatiores, quam philosophorum choro. Quod si versicoloria florum venustate placet, oculisque cõtuentes pulchritudine pascant, nec non odorum suauitate nares alant, per quos sensus licet tanquam per alias animi fenestras voluptatē afferant, miraque iucunditate recreent: auri tamen delicias ac gratiam illam amœnitatē excludunt. Sed hæc ioco dicta non serio putantur. siquidem odorum colorumque quos parens natura produxit, amœnitate liberaliter fruimur. Verum ea quum nihil frustra soleat moliri, hæc odoramenta colorumque solius oblectamenti gratia creditur ædidisse, quum nihil aliud præstent commodi, nisi quod visum odoratumque reficiunt. Frutices, herbas, arbores frondibus vestiuit, quod suos fructus ab iniurijs æstus ac frigoris vindicaret. Flores vero creasse videtur non alterius causa, quam ut nobis utentibus iucunditatē quandam subministrarent: ijs præsertim illecebris non parum visus olfactusque capiuntur, ut potest quum flores miros efflent odores, inenarrabilemque colorum varietatē representent. Nec in vllis rebus alijs lasciuiens natura in magno fertilitatis gaudio tam variè lusit. flores odorumque cõtinuè gignit. sed nec pictura quidem sufficit imaginibus colorum reddendis mixturarumque varietatibus. Auulsis, ut tradunt, 45

folijs, exulcerationis noxa indecensque glabritia concipitur, quæ arbores her-
 bāsque castratas ijs partibus malè habeat, quare non ab re præcepit Empedocles
 non modo laurus folijs manus abstinentas, sed & alijs omnibus quoque parcen-
 dum: vetuitque ne quis vsquam frondibus quibuscunque violèter raptis sese quo-
 5 uis modo perornaret. Porro florum collectio decerptusque, vindemijs similitu-
 dine respondet, fitque; vt illa citra noxam: quos nisi quis suo tempore legat, flac-
 cidi marcescentēsque; procident, & caduci properè contabescunt. Quapropter è
 floribus tantum texendas esse coronas proponunt. Sed vetustissimi quique; arborū
 frondibus ramulisque; coronamenta torfisse suis scriptis abunde testantur. Liber
 10 vini repertor quum medicamentum suauissimum simul & vehementissimū ad-
 inuenisset, fertur hederam suis viribus huic repugnantem, in honorem ac præ-
 tium adduxisse, eaque; coronari debacchantes edocuisse, quo minus vini noxam
 sentirent, hederam suo frigore temulentiam restingente. Iuglandem quoque; coro-
 namentis abdicandam nobis græca nomenclatio satis ostendit, quæ *καρπια* à capi-
 15 tis grauedine propter odoris virus creditur dicta. nanque grauem expirat halitum,
 eosque sopore tentans lædit qui sub arbore decubuerint. Narcissum tamen
 Sophocles magnum deorum terrestrium coronamentum appellauit, ita dictum
 quod neruos hebetaret, membrisque; torporem sensus sopiens, afferret. Tradunt
 rutam peganon Græcis à facultate dictam, quod calore siccitateque genituram
 20 coagulare: ideoque gestantibus vterum inimica etiam coronis inserta putatur.
 Hallucinantur planè qui amethystum herbam existiment contra ebrietatē pol-
 lere, gentilēque; hinc gemmam ita nominari, quod vinolentię refragetur, vtraque;
 enim à colore sibi nomen asciuit. De calculo satis conuenit. Cæterum amethysti
 herbæ folium meracioris vini calorem æmulatur. Iis itaque; iam dictis nomina vi-
 25 res indiderūt. Quum ergo merum caput occuparit, arcemque sensuum obsede-
 rit, mirum in modum hominē cōturbat: cui mitis aura florū naribus hausta suc-
 currit, caputque ab ebrietate propugnaculi vice tutatur. Quinetiā laxant, si ca-
 lida præditi sunt natura, spiracula quibus vinosus euadat vapor. Quæ vero fri-
 gidis floribus vt violis rosisque; coronæ struuntur, noxios halitus repellunt. quip-
 30 pe quum & astringant sua vi, & odore capitis grauitatē corrigant. Ligustri flo-
 res, croci, & baccaris, odore somnos alliciunt, & ad placidam quietē potos per-
 ducunt. expirat enim lenem auram ac blandum odoris effluuium, quo in temu-
 lentorum corporibus inæqualitates obortæ aspritudinesque sensim dissipētur,
 atque; sic exterantur, vt conciliata tranquillitate crapula retundatur & excoqua-
 35 tur. Atqui quorundam florum odoribus irrepentibus ad cerebrū, sensiles mea-
 tus repurgantur, ac humores citra iniuriam vel concussum leniter à calore discus-
 tiuntur, eoque frigidum natura cerebrū fouetur. Sic flores bifariam coronamen-
 tis inferentur, vel vt capitis ipsius grauitatem abigant, aut vt somnū placidum
 accersant. Verum quæ floribus concinnatæ ceruici colloque; tanquam pensiles ge-
 40 stantur, Græcis *καρπια* appellantur. hinc odores naribus rapti, suo calore ce-
 rebrū feriunt. Non enim quod huiuscemodi coronarij torques quasi cordis ani-
 mum castrametati visantur obsidere, nominantur Græcis hypothymides, quum
 potius licuisset epithymias appellare, quoniā collo supra cor nexi propenderēt:
 sed eo nomine, quod halitum & auram sursum expirent. Nec mirari debemus
 45 si coronarum vapor tantam sibi vendicet facultatem. nanque; fertur vmbra taxi

subter dormiētes enecare, præsertim quoties in sensum graue virus illapsum pro-
 ruit. Sic papauer quū eius lachryma decerpitur, tam vehemētē auram eructat,
 vt qui non sibi cauerint, veterno correpti cōcidant. Nam alysson herba vel ma-
 nu gestata, vel oculis conspecta rabie liberat: ideò propter ouilia, caprarum gre-
 ges, & armentorum cubilia feri perquam vtile putant. Rosa Græcis rhodon no-
 minatur, q̄ sanè suo esu copiosum remittat effluuium: quare fugax q̄ celerrime
 marcescit. Refrigerat autem, suóq; flammeo conspectu non ineleganter rutilat:
 siquidem tenuis quædam aura per summa rosæ sane viget, quæ pulsa vi caloris
 expuitur. Igitur non ab re ioculari cōuitio Momus eos incessere solebat, qui ca-
 pitibus corollas gererent, argumento quòd tam gratus odor velut fugax inuti-
 liter euanesceret: si verò subditæ sensibus deferrentur, suauitate nares, varietate
 colorum oculos recrearent. Troianis temporibus iam floribus erat honor, & hos
 certè treis Homerus laudat, loton, crocon, hyacinthū. Rosarū v̄sus propè nimi-
 us est in coronis. Liliū rosæ nobilitate proximū est, quadam etiam cognatio-
 ne coronamenti. Narcissus florem suo cacumine profert candidum, calyce pur-
 pureo, quem donat coronis. Violis proximus honos, maxima authoritas luteis.
 Cæterum coronarum quæ sola varietate placent, duo genera: quando aliæ folio,
 aliæ flore constant. Florem dixerim genistas: nanq; in ijs decerpitur luteus. Item
 rhododendron. In vepribus nascitur cyclaminum, cuius flos colossinus in coro-
 nas admittitur. Folia smilacis & hederæ coronamenti se dedere, coronæq; earū
 obtinent principatum. In coronamenta folio venēre cunilago, melissophyllon
 quod apiastron, & meliloton quod fertulam campanam vocāt. Coronas ex hac
 antiquitus factitatas indiciū est nomen fertulæ quod occupauit. placet maximè
 folijs breuissimis atq; pinguisimis. Folio coronat & trifolium, cuius tria genera,
 asphaltion maiore folio, quo coronarij vtūtur: alterum acuto ἰεὺτεῖφυλλον: tertium
 ex omnibus minutissimum. Vtuntur hederæ folijs, corymbis, & flore purpureo.
 in ijs colos tantum delectat, odor autem abest. Amarantus quoq; sine odore no-
 scitur, spica purpurea verius quàm flos aliquis: mirūmque in eo gaudere decerpi
 & lætius renasci. Prouenit Augusto mēse, durat in Autumnum, decerptus asser-
 uatur. mirūmque quum defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hy-
 bernas facit coronas. Summa eius natura in nomine est appellato, quoniam non
 marcescat. in nomine eius est & cyani colos, item holochrysi: quanquam ij flores
 in vsu non fuerint Alexandri magni ætate, quoniam seculi illius authores pro-
 fus siluere de illis. quo manifestum est postea placuisse. à Græcis tamen repertos
 quis dubitet, non aliter Italia vsurpante nomina illorum? Petilius ab exilitate no-
 men duxisse videtur. est autem Plinio flos autumnalis circa vepres nascens, fo-
 lijs paruis, quinis, calyculo versicolori instar rosæ syluestris, in quo luteum semē.
 folia eius haud nasci traduntur præterquam inflexo & retorto floris cacumine.
 Bellius quoq; coronis inuenit gratiam, quum in pratis sponte nasceretur: iamq;
 earum gratia in hortis studiose colitur, flore pastillicantibus quinquagenis quinis
 barbulis coronato. Pratēses ij flores & sine vsu, ideò fere pleriq; nominibus de-
 functi: de ijs tamen sparsim suis locis differemus. Heliochrysos folijs abrotono
 similibus nascitur, cauliculis tenuibus, aureo & immortali flore cacuminatis. hu-
 ius flore Theophrastus scribit se plerosq; coronare, vt gratiā ineant & vitæ glo-
 riam existimationemq; concilient, si prius vnguento perfusi fuerint, auri ignem 45

non experti scobe conspersa. Origanum quoq; coronamentis quæsitum, thymum quoque. Folio tantum coronant Iouis flos, amaracus, hemerocalles, abrotonum, helenium, sisymbrium, serpillum. Colore tantummodo placet Iouis flos: odor abest sicut illi quæ græcè phlox dicitur. reliqua & ramis & folio odorata sunt, excepto serpillo. Duo conyzæ genera in coronamenta venere, mas & fœmina. differentia in folio, constrictius fœminæ angustiusque, imbricatum maris & ramosius. Nec excludi debet œnanthe, quæ sit dicata corollis: item phænij genus vtrunq; fertis addictum noscitur. Lychnidis flores violæ magnitudine, odore nullo, coronis inseruntur. Spinæ acutæ floribus vtuntur etiam coronarij, quum cauliculi eius inter oblectamenta gulæ cõdiantur. Vincaperuinca semper viret in modum lineæ, folijs geniculatim circumdata. Topiaria herba inopiam tamen florum aliquando supplet, sæpe nobis hyberna ministrat coronameta. Non fuit in v su prioribus seculis altile betonicum, quum authores illius non meminere. Voluntarium passim in parietinis spectatur, altile in plenum letius, quæ culturæ diligentia subinde cõponatur: neq; specie neq; odore tamen quouis modo dissident. horum flores omnium speciosissimi tam æstiuas quàm hybernas replent coronas. Namq; ij garyophylli placent odoratu, sed longè suauissimo, coloribus relucet varijs: quandoquidè alius cocco rutilat, alius saturata splendet purpura, alius niueo blanditur candore, alius versicolore variat cõmistu. nec rosas inferiores videri possunt, verum cum eis de principatu cõtendunt, quando nec colore superantur purpureo, vermiculato, candido, nec odore: nisi quæ à longinquo plus olet recens rosa, sed diuturniore mora vincitur. Betonico supra triduum vita vigorq; durat. Rosa nihil fugacius, longissima decerpitis mora, dies. in quo flaccescentes venerè & gratiã exuunt, suiq; decoris pulchritudinè fragiles amittunt. Philostratus rosæ fruticè amori dicatum quadam epistola tradidit, quæ vt ille Cupido iuuenescit, ita recès rosas uueta pollet, mollis delicatãq; videtur, vt ille. aureis vterq; crinibus comatur. Si reliqua libeat cõparare, rosæ sagittarum loco spinas, ac pro facibus fuluos apices gestant: folijs perinde quasi pennis alatae spectantur. Tẽpus vllum neq; rosa neq; Cupido nouit. Siquidè amor vt fugaci formæ pulchritudiniquæ, sic proueniẽtibus rosas creditur inimicus. Qui Romæ, vt idem inquit, flores circũferabant, in cursum conciti properabant. hoc celeritatis testimonio nobis innuebãt, formæ vigoriquæ non esse fidendum, quæ illa confestim irreuocabilis fugiat. Cursus quoque documento nobis fuit, vt pulchritudo facillimè vanesceret, magna, vt palam est, admonitione hominum, quæ spectatissime floreat celerrimè marcescere.

Mutationis exempla quæ maleficio proficiant.

De morbis satorum & remedijs. Cap. XV.



Arbores ac herbas quas naturæ debeamus, tribus modis nasci dictum est, sponte, semine, radice. neque omnia in omnibus locis nasci certum est, nec translata viuere. hocq; vel fastidio, vel contumacia, aliàs imbecillitate, aliàs cælo inuidente, aliàs repugnante solo euenire solet. Quod si nonnunquam possit à solo impetrari, vt alienas alat aduenasq; nutriat, cælum nullo modo quit flecti: quod si clementia cæli fauet solo reclamante, quæ nascentur aut inuita parient, aut mutationem aliquam fructuum aut arborum fieri contendunt, quæ

quidem aruspices ostenta esse dicunt, non aliàs quàm si punicum acidum ædat dulce, aut contrà dulci acidum proueniat. item ex caprifico ficus, ex fico caprificus nasci nonnunquã solet: ex nigra fico candida. Ex vua nigra candidam pro-
 dire in vite quam capneiam vocant, Theophrastus est author. In reliquis plantis opera quædam cultu, quædam ipsius soli natura mutantur. Tiphæ semen si pi-
 stum feratur in triticum vertitur. Syluestre hordeum triticumq; cultu feritate
 mitigata in cereale mansuescunt. Legumina si nitro pridie macerata ferantur,
 longè facilius excoquentur. Lentè vt crassescat paxillo demittūt. Cicer vt grã-
 descat, cum filiquis obseritur. Triticū sæpe degenerat in lolium. item omne tri-
 ticum solo vliginoso post tertiam sationem conuertitur in filiginem. Nam triti-
 ci vitium est: & quanuis candore præstet, pondere tamen vincitur. Populus alba
 in nigram com meat. Ocymum folibus expositū in serpillum transit, quod fieri
 visitur, quū accedente maiori siccitate folium decrescit inopia alimēti, & odoris
 acrimonia gliscit. Sifymbrium nisi cultura coerceatur, odore in mentham, figu-
 ra in nepetam desciscit. Nec aliter de noualibus syluestre mēthastrum in men-
 tham cōuertitur, inuersis cacuminibus dispositum, quæ res feritatē deponit atq;
 edomitam reddit. Neglecta vitis degenerat in labruscã. Ex semine brassicæ vete-
 ris rapa fiunt: atque inuicem semen vetus tantum valet in quibusdam rebus, vt
 naturam cōmutet. Nam ex semine brassicæ vetere sato, nasci aiunt rapa, & con-
 trà, ex raporum, brassicam. Sæpe etiã explorata nobis semina naturali vitio de-
 sciscunt. id quod Poëta velut surdis veritatis indulget differendo,

» Vidi ego lecta diu & multo spectata labore

» Degenerare tamen, ni vis humana quotannis

» Maxima quæq; manu legeret, sic omnia fatis

» In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

Rapa campis & locis humidis lætantur. Napus glareosis sabulosisq; aruis melior
 exit, lociq; proprietas vtriusq; semen commutat. Nanq; in alio solo rapa bien-
 nio sata conuertuntur in napum: in alio napus raporum accipit speciẽ. Nec mo-
 do in ijs, verum in nonnullis animalibus euenire notatum est, siquidem ex tineã
 eruca, ex eruca papilio gignitur. quare id velut absurdum ab ratione non abhor-
 rebit. Cæterum sata quædam iniurijs laceßita melius prouenire credidit antiqui-
 tas. Nanq; vt i metalla longo contritu magis subinde nitent, & nisi sic exerceantur,
 rubiginem contrahunt: ita stirpes nonnullæ identidem speciosiores emergūt
 probris opportunæ, quibus si nõ adficiãtur, velut ieiunæ fatiscūt. Sic gaudet cal-
 cari & atteri pede crocus, pereundóq; lætior prorumpit. Incensus asparagus vbe-
 rior renascitur. Qua ratione cum spinam fecerit, collectis feminibus ipsis scor-
 piones ita vt sunt suo loco perurendi, & quo maturius fuerit incensus, hoc lætius
 proueniet. Sic arundineta nisi vetustatē sentiant, eodem more incenduntur, ita
 vegetiora renasci produntur. Crispum fiet apium qualitercunq; satum, si quum
 est natum, incrementum eius superuoluto cylindro coerceat olitor, vel si semi-
 na ante tundantur, aut pedibus proculcentur enata, vel si super areas nascentes
 aliqua pondera volutentur. Rutam dum conferitur maledictis prosequūtur, ita
 vegetiorem reddi veteres crediderunt. Ex hoc etiam genere ocymum intelli-
 gitur. Gaudet & ipsum, quum obrutum terra semen est, pauicula vel cylindro
 diligenter inculcari. maturius exhibit feruenti conspersum aqua. Sentiūt & mor-

bos terræ fata. nāque ocymum se necat. Asparagus recens enatus per hyemem
 rigore peruritur, succurritur stramentis operietibus: sed primo vere statim ape-
 riatur. Enecatur cyminum ab imo dorso nisi repurgetur: aliās priuatim cumini
 morbus scabies. ocymum quoque sub Canis ortu pallescit. omnia verò acces-
 5 su mulieris menstrualis flauescunt. Si ad eum locum in quo cucumis aut cucur-
 bitæ confitæ sunt, mulier admittatur, contactu eius languescunt incrementa vi-
 rentium: si vero fuerit in mensuris, visu quoq; suo nouellos foetus enecabit. Be-
 stiolarū quoq; genera in nascuntur. culices naps, raphano eruce & vermiculi: item
 lactucis & oleri. Vtrisque hoc amplius, limaces & cochleæ. Infestant & culices
 10 hortos riuos, præcipuè si sunt arbusculæ aliquæ: sed ij galbano accenso fugā-
 tur. Ferro non expedit tangi rutam, cunilam, mentham, ocymum. Formicæ nō
 minima hortorum exitia sunt, contra quas remediū putatur limo marino aut
 cinere obturatis earum foraminibus: sed efficacissimè heliotropio herba necan-
 tur. Quidam & aquam diluto latere crudo inimicam eis putant. Naporum me-
 15 dicinæ sunt, siliquas vnā feri, sicut olerū cicer. arcet enim erucas: quæ si iam natæ
 sunt, remediū absinthij succus decocti inspersus. Veteres quidam authores vt
 Democritus, præcipiūt semina omnia succo herbæ, quæ sedum appellatur, me-
 dicanda, eoque remedio aduersus bestiolas vtendum. quod verū esse docuit ex-
 perientia. Frequentius tamen, quoniam huius herbæ minus larga est facultas, fu-
 20 ligine quæ supra focos tectis inhæret, satis tueri possumus incolumitatem plan-
 tarum, si collecta pridie quàm satio fiat, cum seminibus misceatur & aqua cōsper-
 gatur, vt tota nocte succum trahant. Semen olerum si succo sedi quam aizo on
 vocant, madefactum seratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradunt. Ne
 hyemis gelicidijs semina perurantur, stramentis supraiectis ab ijs & pruinis de-
 25 fenduntur. Vbi apricis regionibus post pluuias noxia inceserint animalia, quæ
 Latinis appellantur erucæ, Græcis *καμπου* nominantur, matutinis temporibus fru-
 tices olerum concuti debent: sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore,
 facilè decident, nec amplius in superiorem partem stupentes prorepent. Sed si
 prius succo herbæ sedi macerata sunt semina, nihil sic medicatis erucæ noce-
 30 bunt. Democritus adfirmat has ipsas bestiolas enecari, si mulier quæ in mēstruis
 cursibus est, solutis crinibus & nudo pede vnamquamque aream ter circumeat,
 post hoc decidere omnes vermiculos & ita emori. Aduersus erucas cancrum
 fluuiatilem in medio horto suspensum auxiliari narrant. Sunt qui virgis sangui-
 neis tangant ea quæ nolunt ijs esse obnoxia.

35 **De mensuris quibus longitudines herbarum dimetitur:**
 item rationibus ponderum.

Cap. XVI.



40 **Q**uoniam authores explicandis herbarum magnitudinibus, cer-
 tis rerum modis vtuntur, non alienum mihi fuit visum singu-
 las subijcere mensurarum rationes, quæ omnibus etiam in re-
 bus apprimè videntur necessariæ. hæc ex corporis humani mem-
 bris colliguntur, vt palmus, pes, digitus. Corpus enim hominis
 ita natura cōposuit, vt pes sui corporis esset altitudinis sex tæ:
 cubitus verò quartæ: reliqua mēbra suos habent commensus proportionis. Ve-
 rum vt à minima parte omnibus tamen conspicua herbarum modos auspice

mur: digitus sextadecima pars pedis constituitur, vt vncia duodecima. sed ipsius
 digiti simplex obseruatio non est: nam alius vocatur quadratus, alius rotundus.
 Quadratus, tribus quartis decimis suis rotundo maior. Rotundus tribus vnde-
 cimis suis quadrato minor est. Palmus quatuor habet digitos: ita efficitur vt cō-
 tineat Pes sedecim digitos. Cubitus sex palmis constat digitisq; vigintiquatuor: 5
 totidem quoque sesquipes. In quo noscendum nobis est, quoties vocabulū hoc
 sesqui cum aliqua mensura vel modi, vel numeri, vel tēporis collocatum fuerit,
 non integrum modo id explicare cui iungitur, sed integrū & semis. Sic sesquili-
 bra, sesquimensis, sesquicyathus vsurpātur Latinis. est enim sesquilibra, libra vna
 & semis: sesquimensis integrū mensuram cum dimidio valet: sesquicyathus inte- 10
 grū cum dimidio complet. Cæterū quemadmodū cubitus sex est palmorū, ita in
 Græcis ciuitatibus factum est, vt in drachma ex æquo sex quos appellāt obolos
 quadrantēsq; obolorū, quæ alij dichalca, nōnulli trichalca, pro digitis viginti-
 quatuor in drachma constituerentur. Latini in denario denos asses æreos colle- 15
 gerūt, & ea re cōpositio nummi denarij nomen retinet. etiā quartam eius partē,
 quod efficiebatur ex duobus assibus & tertio semisse, sestertiū vocitarunt. & quo-
 niam animaduertunt vtrosq; numeros esse perfectos & sex & decem, vtrosq;
 in vnum coniecerunt & fecerunt perfectissimum decussissexis. Huius autem rei
 authorem inuenerūt pedem. è cubito enim quum dempti sunt palmi duo, relin- 20
 quitur pes quatuor palmorum. Quapropter pes in herbarū longitudinibus per-
 uestigandis as statuitur, q̄ capiat totidem digitos, quot denarius asses. Vtrunq;
 sexdecim partibus cōstare diximus. Cuius sextans dicitur sexta pars assis, in quo
 digiti sunt duo cum quarta parte. Quadrans quarta pars assis numeratur, hoc
 est digiti quatuor, qui etiam alio nomine palmus à nobis fuit appellatus. Verū ne
 nomenclaturarū varietates quandam pariāt confusionem, notandum est palmū 25
 veteribus fuisse duplicem. Minor digitorum quatuor habetur, Græcis palæstes
 vocatus: maior digitorum duodecim, spithame Græcis dictus: quæ differentia
 ex Varrone, Vitruuio facilè deprehenditur. Plinius libro septimo narrat, Spitha-
 mæos esse Pygmæos, ternas spithamas lōgitudine, hoc est ternos dodrantes non
 excedere. Qua constat etiam citati authoris sententia, spithamum cum dodran- 30
 te modo conuenire. Sunt qui dispithamiæon bipalmem aut duūm palmorū ma-
 gnitudinē interpretentur, & palæsten modū quatuor digitis constantē cum spi-
 thama, quæ duodecim constituitur, confundant. Nos dispithamiæon binos do-
 drantes equare putamus, qui vigintiquatuor continēt digitos, siue aliās sesquipe-
 dem. Nam quatuor & viginti digiti integrū pedem & dimidiatū complent. quæ 35
 sesquipedalis altitudo clarior cognoscitur, q̄ vt egeat cōprobari. Suas tamē par-
 tes possent tueri, si de maiore palmo intelligerēt: verū id ad abolendam magnitu-
 dinis cōtrouersiam fuerat exprimendū, ne nobis ambiguitas turpiter imponeret,
 omniq; fallacis sensus suspicio facefferet. Nemo tamē potest inficiari modos re- 40
 rum aliquos nomenclatione sola ab alijs, nō re ipsa discriminari. Nam palmus cū
 quadrāte cōuenit, vterq; quaternis cōstituitur digitis, nonne bini dodrātes iustē
 sesquipedē implēt: nēpè ambo vigintiquatuor referūt digitos. Nū cubitus idem
 cū sesquipede valet? vterq; nimirū senis palmis digitisq; vigintiquatuor cōstare
 cognoscitur. quare non magni refert, siue sesquipedalem, siue cubitalem, siue
 binos dodrantes altam dixeris longitudinem, quum prorsus idem hæc tria sibi 45

velint, nomine tenus variata. Num eadem bipalmea cum semipedali longitudo
 creditur? vtraque sanè binis confurgit palmis, id est octo digitis. quare parui in-
 terest, siue bipalmarem, siue semipedalem appellaueris cauliculum. Verum vt ad
 rem reuertamur, Dodrans, pars est dimidia & tertia assis, dicta quasi inde depto
 5 quadrante, in quo sunt digiti duodecim. Dodrantis cauliculus dicitur, qui lon-
 gitudine duodenos æquat digitos. Triens, tertia pars assis & vna duodecima, in
 quo digiti quinque cū vnus duodecima portione. Sextans, pars est assis sexta, in
 quo sunt digiti duo cum dimidio vnus & duodecima parte. Vncia, duodecima
 pars assis, ab vno dicta, si Varroni credimus. Sextula, sexta pars vnciæ, sicut se-
 10 muncia dimidia pars. se particula in quibusdam valet dimidium, vt in selibra,
 semodio, semuncia. Semis, assis dimidium constituitur. Quincunx, à quinque &
 vncia conclusum. Assis pars tertia & vna duodecima, continet digitos quinque
 & quartam vnus portiunculam. Sic quincunciale folium, quod modo numera-
 tam magnitudinem implet. Septunx, pars assis dimidia & vna duodecima, hoc
 15 est in quo sunt digiti septem cum quarta alterius parte. Bes, duæ tertiæ assis par-
 tes, in quo nouè inueniuntur digiti, adiecta quarta alterius portione. Bes, vt Var-
 roni placet, olim des dicebatur, quasi dempto triente. Deunx, duæ tertiæ & vna
 pedis quarta, dicta quòd à decem vna sit dempta vncia, vt dextans dempto sex-
 tante, in quo est pars pedis dimidia & vna tertia. Sed exempli gratia caulium lon-
 20 gitudines aliquæ declarentur. Bicubitales crissio, dracunculo, gentianæ, glasto,
 albæ spinæ, acantho, althææ, maiori conyzæ, symphyto. Cubitales plantagini,
 ranunculo, chelidoniæ, baccari, phu, sphondylis, libanotidi, betonicæ, alisma-
 ti, satyrio. Dodrantes hyacintho, caucali, aro, sesamoidi, chamæleoni nigro,
 syluestri cumino, cretensi dauco, orobáchæ, hyperico, testiculo canis, leontope-
 25 talo. Sesquipedalis ornithogallo, thlaspi, cneco. palmeus tripolio. Sed de magni-
 tudinibus abunde diximus, quum caulium discrimina superius referremus. Sed
 locus etiã is exigit, vt rationes ponderũ & mensurarum quibus vtantur medici,
 breuissimè colligantur. Scrupulus qui Græcis gramma dicitur quasi primũ pon-
 deris elementum, duos continet obolos. obolus pendet siliquas treis, quæ græcè
 30 *χάλκισκος* nominantur. Siliqua chalcos continet duos, hoc est, vt volunt, quantum
 lentis octo semina. Tres scrupuli drachmam faciunt, quod est denarij pondus.
 Sic prudentes obolorum quæ dichalca Græci nominant, vigintiquatuor in dra-
 chma cõstituuntur. Drachmæ additus scrupulus sextulã creat, in qua sunt scrupu-
 la quatuor. Duplex drachma siciliquum facit, in quo sunt scrupula sex. Sextulas
 35 vncia senas habet: hinc sextulæ nomen possidet, quæ sit sexta pars vnciæ. Semũcia
 dimidia pars vnciæ, in qua sunt scrupula duodecim. Sextulæ duæ duella vocatur.
 octo drachmæ reddunt vnciã, in qua scrupula cõtinentur quatuor ac viginti. sed
 vncijs duodecim Romana libra cõstat. Nanq; Attica, vt aliqui tradunt, minor est,
 vt quæ drachmis cõficiatur septè & septuaginta, cum Romana sex & nonaginta.
 40 Sic drachmæ centum minam constituere tradunt, maiorem drachmis quatuor
 Romana libra. Paulus tamen Aegineta eo libello, quem in operis sui calce pon-
 deribus ac mensuris dicauit, minam Atticam & Aegyptiam sexdecim vncijs
 constare prodidit, minam vero Romanam vncijs viginti. Sed vt inter omnes
 conuenit, assis loco ponderibus medicaminum libra statuitur, cuius vncia quæ
 45 ab vno dicitur, duodecima pars est. Sextans pars sexta, id est vnciæ duæ, in quo

funt scrupula quadraginta octo. Quadrans, pars libræ quarta, id est vnciæ tres, in quo continentur scrupula duo & septuaginta. Triens, tertia libræ portio, id est vnciæ quatuor, in eo sunt scrupula XCVI. Quincunx, pars est tertia libræ, & vna duodecima, id est vnciæ quinque: in quo numerantur scrupula centum & viginti. Pars dimidia libræ semis dicitur, quasi semis as, quæ etiam selibra nominatur, in quo continentur scrupula centum quadraginta quatuor. Septunx, pars est dimidia & vna duodecima, id est vnciæ septem, in quo sunt scrupula centum sexaginta octo. Bes partes duæ tertiæ, id est vnciæ octo, in quo sunt scrupula CXCII. Dodrans tres quartas capit, id est vncias nouē, in quo sunt scrupula ducēta sexdecim. Dextans pars assis dimidia & tertia, id est vnciæ decē, dicitur quæ desit assis sextans, in quo sunt scrupula ducenta & quadraginta. Deunx duæ tertiæ & vna quarta, id est vnciæ vndecim, in quo scrupula sunt ducēta & sexaginta quatuor. Sequitur integrum quod est as, in quo sunt vnciæ duodecim, & scrupula ducēta & octoginta octo. His partibus veteres nō medicamēta modo, sed integra omnia quoque diuidere solent. Diximus de ponderibus, nunc verò de mensuris est disputandum, illis inquam non quibus agros, sed aut fruges aut liquores dimetimur. Amphora quæ Græcis ἀμφορέϊς & κεράμιον authore Dioscoride dicitur, octo congios capit. Duplex amphora modius est, aut si maior græcè medimnus. Congius qui græcè χῆς dicitur, fenos capit sextarios, inde forsitan ductum sextarij nomen, quod eum sexies congius capiat. Triplex quoque amphora efficit sextarium. Dimidium sextarij hemina est, à græco ἥμιον oriunda, quod eius sit dimidia pars, Graijs cotyla nominatur, & sæpe tryblion. Quatuor sextarij chœnica complent vt decem metretā. Scribit tamen Iulius Pollux cotylam chœnicis esse tertiā partē, chœnicas octo & quadraginta medimno contineri. Hemina sex impletur cyathis. Sesquicyathus acetabulum implet. Cyathus Paulo authore, duo mystra cōtinet. Sed vt Plinio placet, pendet per se cyathus drachmas decem. Quum acetabuli mensura dicitur, significat eidem heminae quartam partem, id est drachmas quindecim. Mna quam Latini minam vocant, pendet drachmas Atticas cētum. Sed nō parui refert in liquidorum modis quem laticem metiamur, quod æqua lance trutinata quædam plus alijs habeant momenti. Quare gratia exempli nobis oleum, vinum, mel proponuntur. Mel itaque vino quarta parte ponderosius existimatur, capit enim integram huius mensuram & insuper trientem. mel ex media parte oleum pondere degrauiat. Continet enim totum eius modum & vltra semissem. Vinum oleo nona parte supereminet, quando integrum ipsum capit: & eius dodrantem. Verum vt dicta manifestiora reddantur, singularum mensurarum pondera breuiter subiiciemus, hos liquores publico omnium censu conspicuos in vsum proferentes, oleum, vinum, mel. Italica amphora capit olei libras septuagintaduas, vini octoginta, mellis centum & octo. Congius continet olei libras nouem, vini libras decem, mellis libram cum scrupulis decem. Acetabulum capit olei drachmas octodecim, vini sextantem, vel si malis, vncias duas & scrupula duodecim: mellis quadrantem, & scrupula nouem. Cyathus olei pendet per se drachmas duodecim, vini sesquunciam & scrupula quatuor, mellis sextantem, drachmas duas. Mystron paruum olei tenet drachmas sex, vini scrupula viginti, mellis drachmas nouem. Mystron maius capit olei quadrantem, vini tres vncias

cias, & octo scrupula, mellis trientem, vel, quod idem est, vncias quatuor. Oribasius author est, Italicum sextariū mensura vini continere vncias vigintiquatuor, in pondere librā & bessem : mellis verò sextariū, duas libras & semissem pendere. Galenus memoriæ prodidit, Sextarium olei octodecim vncias possidere, vini viginti, heminā dodrantē. Aegyptia artabe modios quinq; cōtinet. Chœnix sextarios duos. Sextarius heminas duas. Hemina cyathos octo. Medimnus Atticus hemiecta capit duodecim. Hemiecton chœnicas quatuor, ita vt medimnus minas capiat quadraginta octo, sextariō s̄que nonaginta sex. Culeus omnium maximus creditur, quem viginti amphoræ complent, continētque vrnas quadraginta. Columellæ, Pliniōque sesquiculare dolium sexaginta vrnas capit. Pars tertia mystri cyame dicitur, quæ duo cochlearia capit. Attica mina & Aegyptia si Galeno credimus, vncias continet sexdecim, Romana viginti. Itaque vt rem breui sermone perstringamus, libra pendet vncias duodecim, vncia drachmas octo, drachma scrupulos treis, scrupulus binos obolos, obolus siliquas treis, siliqua chalcos duos. Hæc ex diuersis authorum sentētijs defunctoriè subdidimus, quæ Lector optime boni consules.

De colorum varietate.

Cap. XVII.

Lores herbarum tam vario colorum ornatu lasciuies natura depinxit, vt nulla in re tam magno fertilitatis suæ gaudio vsq; eò lusisse videatur. Luxuria quoq; vestibis prouocauit eos flores, qui colore cōmendētur. Verū vt à primordijs breuiter colorum rationes auspicemur, Simples colores dicuntur qui elementa ignē, aërem, aquam, terrā sequuntur. Aër & aqua suapte natura candidi sunt. Sol & ignis flauī. Terra nisi tincturā ebiberit, aut aliunde sibi colorem asciuerit, candida cernitur. cineris eius argumento, qui exusto humore tincturam creante, natiuum candorem resumit, sed non emaculatum, q̄ fumo qui nigricet, inficiatur: inde manans lixiuiū flauescit, flammeo & atro aquam colorantibus. Niger colos elementorum misturam sequitur. Atrum aliquid tripliciter apparet, vel quum à nobis videri non potest, vel quum nihil luminis in visum ei aculatur. Item nigra omnia reputantur, à quibus repercussum lumen resilit. Sic vmbre corporū nigritiæ præbent imaginem. Sic opacum iudicatur nigrum. Lumen ignis ipsius est colos. Sed hæc magis ad sensus extimationē pertinent. Alter color cōtrahitur, quum aër & aqua ab igni concremētur. quapropter ambusta cūcta vt titiones, ligna, carbones restincto igni nigrescūt. Fumus quem cādētes igni lateres eructarūt ex creto humore q̄ nigerrimus exilit. Cæterū albor & nigritia simplices cēsantur, & reliquorū colorum primordia, vtpote quum eorum cōmistu cæteri velut medij creentur. Si nigrū & albū misceātur, fusci referēt speciem. Atrū & opacū lumini promiscuū, puniceū parit: indicio, quòd nigrū lumini solis vel ignis permistū: colorē puniceū mentietur. Atra quoq; omnia quæ flagrāt igni, in puniceū colorē degenerāt, quales fuliginosæ flammæ & carbones quū incanduerint, spectātur. Purpura dilutior enitebit, quū candido mediocri & opaco infirmus solis splēdor se cōmiscuerit. Quare quū sol ad ortū vel occasum spectat, aër inibi purpura rutilat. Sic mare purpurascit, præsertim quum vndis in sublime iactatis reclinās opacatur. nanq; quando in sedē se recipit fulgor solis im-

becillus insinuans sese, purpureum colorem visui repræsentabit. Atqui quum
 nigro mero collucentique se splendor aëris inseruerit, colos nigellus excitatur,
 qualis in acinis vuæ reperitur, ænopon Græci vocant. Cæterum vbi maturita-
 tem sentientes vuæ nigrantur, phœniceus color in purpuram desciscit. Solis
 itaque & ignis lumen, aer & aqua suo vario commistū omnes, vt summatim lo-
 quar, nitidos pariunt colores. Etenim alitum pennæ solis fulgorem admittentes,
 multas ostendunt colorum varietates. Sed colorum innumera ferè proueniunt
 discrimina, quoties lucido & opaco inæquabiliter misturæ coierint. Item
 non paruam adfert differentiam in coloribus splendidum, si vel rutilat, aut hebes
 & obscurū caliget. Splendor tamen nihil aliud est, quàm luminis continuata den-
 sitas. Auri colorem quidpiam tum æmulabitur, quum flauum nonnihil & solare
 lumen in densum coëuntia splēduerint. Ideoq; torquatae columbarum ceruices
 & aquarum stillæ aureo colore splendēt regesto lumine. Non desunt quæ detri-
 ta suum exuant colorem, vt æs, aurum. nanq; si perfricta terantur, non auream
 vel æneam sed nigram relinquet lituram. Quippe quum meatus spiraculāq;
 eorum attritu rumpātur, quibus tinctura subibat, par est vt pristinus color obli-
 teratus nobis delitescat propter dissipatam hoc attritu tincturam, vernaculūq;
 qui niger erat, refricatus, tum nobis conspicuus. Ex tribus colores omneis qui lu-
 mine percipiuntur, misti, constant aqua, aëre, & tertio quodam, id est subiectis co-
 loribus, à quibus lumen reflectitur. Candidum pellucet. Verum quum rarū cor-
 pus inuenerit, aërium colorem præferet. Si densum, quædam offundetur cali-
 go, vt in aqua, vitro, & aëre, quum crassior eruperit. In ijs nō exactè perspicere
 possumus, quæ intus condita iacent, cum propter raritatem à lumine vincantur.
 Aër cominus oculis obseruatus, nullum nobis ostendit colorem: eminus tamen
 conspectus, vbi densior illuxerit, splendor ceruleus emicabit. Item etiā
 si quis aërem intueatur in profundo specu demersum, propter raritatem iudicabit
 cæruleū. siquidem qua parte lumine deficitur, ea tenebris interceptus cæruleus
 offundetur. Si velut in aquā densescat aër, longè omniū candidissimus effulge-
 bit. Porrò permulta tingentiū rerum colores ebibunt: permulta floribus, cortici-
 bus, lignis inficiuntur: multa quoq; terra, multa spuma, multa atramento, quæ-
 dam animalium sanie vt purpura, quædam vino, fumo, quædam lixiuo, quædam
 mari, sed quæ fulua redduntur. Quum colores imbutarum rerum meatibus sese
 demerferint, vbi fuerint resiccatae, illorum colores firmiter retinet: sæpe tamen
 diffluentibus earū spiraculis ijdem emaculati perluuntur. quare res astringentes
 rebus inficiendis quò pertinacius colos hæreat, nō parum exhibent cōmodi. Cæ-
 terū vt infectiui vellerū colores candido obiecto magis illustrati nitent, sic nigro
 in aduersum cōsidente opaciores caligāt: quare saturata purpura obuerso nigro
 magis quàm albo florida placebit. Meracior siquidem incidente nigri splendore
 iudicatur. Sic enim spatiola quæ inter meatus intercedunt, ob exiguitatem nigri
 causa non cernuntur. Cæterū flores, fructus, herbæ, frutices, arbores cōcoctione
 quadam colorū vices capeffunt. sūntq; talium colorū primordia quædā, quæ mu-
 tationes huiusmodi præbeant. In omnibus autē plantis herbaceū quoddam co-
 loris rudimentū inest, quādo & germina, fructus, folia inter initia herbaceo colo-
 re virēt. Quod in plurimis imbribus videre quis potest, vbi diutius resides alicubi
 perstiterint: si resiccari cœperūt, herbarū colligunt colorē. Qua ratione primum

omnibus enascētibus herboſis is colos inſidere deprēditur. Quandoquidē aquæ
 omnes diutius immoratae, ſi ſolis ſplendoribus tēperentur, virorem primū concī
 piunt, paulatimq; nigreſcētes, iterūmq; viridi permixtae, herba ceū creant colorē.
 humor enim per ſe inueteraſcēs quum exareſcit, nigratur: quēadmodū quæ ſem-
 5 per apud aquas reſident, ea nigrore ſuggillantur, q̄ in ijs refrigeratus humor ſic-
 ceſcat. Sed qui partim exanclatus latex inſolatur, propterea q̄ flauū nigro tēpe-
 ratur, diluto virore nitebit: qui vero longē magis nigricauerit, ſaturato placebit
 virore: quinetiā porraceo. Quapropter veteres germinatus omnes plus nouellis
 nigreſcūt. Iidem in flauum elāgueſcent colorē, ſi nondum in eis humor nigrica-
 10 rit. In quibus incremēta proueniunt tardiora, humor diutius permanens refrige-
 ratur, ob id maiorē cōtrahit nigritiā. quare meraciore nigro temperatus, porra-
 ceum ſibi colorē vendicabit. Cæterū in quibus humor ſolis ſplēdori nō ammiſce-
 tur, horū color permanet candidus, niſi longiore mora ſicceſcens prius nigrica-
 uerit. quare ſtirpiū nuper in lucem æditarū quæ ſupra terrā emerſerūt, viridia cer-
 15 nuntur: quæ verò terra cōduntur, candida, vt radices. Germina quoq; quæ terra
 occuluntur ſunt alba, detractōq; ſolo aperta, vti iam dictū eſt, herbacea. quoniā
 humor per germina colatus, talem referat coloris naturam, ipſeq; in fructus in-
 crementū abiens, maturē conſumatur. Quū verò non amplius adoleſcunt, tum
 quia profluens alimonium calor nō cohibeat, ſed contrā humor à calore digera-
 20 tur, matureſcāntq; fructus humore eorū concocto à ſolis & aëris calore, à plan-
 tis ſibi colores adſciſcunt: non ſecus quām à floribus infectiui panni. quare pau-
 latim colorem capeſſunt, præſertim qui obuerti teporibus, ſole conſueuerunt il-
 luſtrari. Sic colores fructus per maturitatis tēpus demutant. quippe qui per ado-
 leſcentiam herbaceo colore vireant, iam matureſcentes in vernaculum colorem
 25 tranſeunt, candidiq; vel nigri, vel fuſci vel flauī conſpiciantur, & nulla non no-
 bis oſtendant colorum diſcrimina. Plurimi tamen promiſcuo eorum coitu con-
 trahuntur. ideò conſtat colores eaſdem ſortiri miſturas. Siquidem cretus humor
 colatūſque ea proluens per quæ fertur, omnes allicit ad ſe colorū vires. qui per
 maturitatis horas in fructibus à ſolis & aëris feruore concoctus, per ſe ſingu-
 30 las creat colorum facies: ſed quaſdam maturius, quaſdam ſerius. quemadmo-
 dum in tingentium officinis euenit, quum tuſarum purpurarum ſaniē eluerint,
 & cortinis profuſam coxerint, nihil inter initia coloris infectis velleribus illu-
 cet, ſed paulatim concocta ſanie magis atque magis ammiſtis inuicem colori-
 bus imbuta purpuris velleri, varias ſentiunt differentias. Hoc idem in fructi-
 35 bus euenit, vt aliquem prius colorem, tandem etiam poſterius alterum ebibant,
 vt vuæ & palmulæ: interdum puniceæ viſuntur: ſed atro in ſe coaleſcente, in
 nigellum vini colorem degenerant. Denique cæruleæ redduntur, vbi punice-
 um meraciore nigro fuerit temperatum. Sed qui poſtremi ſuccedunt colores,
 quum emicuerint priores obliterant: quod in nigris fructibus conſpicuum inue-
 40 nitur. Pleriq; ex herbaceo permixta paululum puniceū cōcipiūt colorē, factāque
 mutatione in fuluos abeūt, illicōq; deſciſcunt à fuluo, q̄ atrum purius in his in-
 ſideat. Indicioſunt folia ſarmentāque, quæ in ijs antedictis atro virore nitent.
 Sed colores punicei naſcendi conditione nigris ſuccedere cognoſcuntur. quòd
 ſubgrundijs & ſtillicidijs pauimenta, quæ mediocri imbre vel aqua perfundun-
 45 tur, opacis locis primum omnia ex herbaceo coloratu in puniceum abeunt,

solúmque tanquam iugulati animalis sanguine cruentatur, præsertim qua exu-
 ctionem senserit: herbaceum virus deniq; in atrum transit, postremo cæruleum
 sequitur. Simile quiddam in fructibus euenire nemo ibit inficias. Sed quum na-
 tu posteriores colores euicerunt priores, fructus quandam mutationem sentire
 conuenit. siquidem punicum malum & rosarum folia per initia albicant, tandem
 fanie per cocturam colorata, in luteum languescunt colorem: demum inatura-
 tam purpuram & puniceum perueniunt. Non desunt quæ multo plures colo-
 res fortiantur, quemadmodum è lachryma papaueris candida primum emicat,
 vt punicum malum: dein exalbata, in puniceum se vertit colorem: postremo
 nigrore superata, in cæruleum commeat. quare superna papaueris folia faciem
 in puniceum vergentem ostendunt, ob celerem impetratam cõcoctionem. Ni-
 gricant quæ radici vicina sunt, hoc colore sicut in fructu principatum obtinen-
 te, qui tandem in nigrum abit. Cæterum in quibus plantis vnus colos inuenitur, vt
 albus, aut niger, aut puniceus, aut purpureus, semper fructus vnã & eandem co-
 loris sibi vendicauit naturam, quoties semel ex herbaceo in alium se verterit co-
 lorẽ. Porro flores aliqui vt punici mali suo pomo sunt cõcolores. In quibusdam
 verò longè coloribus dissident, vt in lauro, hedera: in quibus flauescit flos, bacca
 tamen nigrescunt. purpureus est mali flos, interdum candidus: pomum tamen
 flauum conspicitur. Papaueris flos puniceus, fructus vel albus vel niger existit:
 quod ideo fieri cõtingit, quod succi quibus imbuantur, alijs atq; alijs tẽporibus cõcoctio-
 nẽ adipiscantur. Manifestum huius varietatis argumentum in quibusdam floribus,
 quorum pars folij nigra, pars alia punicea, in alijs portio cãdida, alia purpurea relu-
 cet: vt in iridis flore, qui versicoloria specie propter cõcoctionis discrimina nota-
 tur, quod & in maturescẽtib; vuis animaduerti paulo antè diximus. Ideo florum
 extreme partes melius coquantur: sed intimæ quibus suæ cohæret origini, longè
 magis pallore decolorantur. In quibusdã ferè prius amburitur humor, quã vernacu-
 lam coctionẽ conceperit: ideo flores in suis coloribus permanet, fructus verò sa-
 nie cocta mutantur. Sunt quæ propter alimenti penuriã celeriter excoquantur,
 fructus propter humoris copiã in omnes natiuos colores concoctionis vi se de-
 mutant: quod apertò liquet in velleribus quæ sufficiuntur, statim atq; inter prin-
 cipia faniem tinctorum coniecerunt, obscuro, vel atro, vel aërio imbuuntur suc-
 co, dein quum abunde coxerint, florida purpura relucet. Sic ergo nonnulla co-
 loribus præstant. Alia suo pte ingenio cedunt, quod perfectæ vel imperfectiori
 cocturæ acceptum ferendum est. Est discrimen aliquod in fructibus & floribus
 non fastidiendum. Pleriq; tandem flauescunt, quoniã alimento defecti prius ina-
 rescunt, quã in genituum colorẽ præuenti perducantur: quãdo è fructibus caducis
 sunt, qui ideo flauescunt, quod ante coctionẽ alimonia desit. Fruges & cerealia fe-
 rè cuncta postremo flauet: humor etenim in eis quum maturè siccatus nõ nigre-
 tur, coloris mutationẽ adfert. quin & nigrescens viridi tẽperatus, herbaceum, vt
 dictum est, creat. Porro nigrum si paulatim infirmetur, in viridẽ degenerat colorẽ.
 idem in flauum postremo languescet. pyri & portulacæ, & quorum aliorum folia
 per coctionem puniceum colorẽ referunt. Cæterum quæ ex ijs arefcunt, celeri-
 ter flaua redduntur. siquidem ante coctionem nutrimentum ea deficit. Colorum
 ratio in stirpibus ita se habet. Fiunt & pili equorum, iubæ setarq; vellerum ouium,
 capilli humani, villi cæterarum animantium, alitumq; pennæ, candidæ, fuscæ, fuluæ, 45

nigræ, confimilibus caufis. concoctu candida hæc redduntur, quū humor proprium retinens colorem inaruit. Nigra verò cōtrā, quoties humor genitalis veterafcens longiorémq; faciens moram fui copia nigricarit. nec fecus horum cutis nigra gignitur. fufcæ quoq; flauæ, fuluæ, aut alijs præditæ coloribus animantes nascuntur, quum præuentus humor prius ficcescit, quàm perfectè se verterit in nigrū. Euariant colores quibus horum diuerfitas acciderit: verum omnia cutem colorémq; eius confequuntur. Hominibus flauis capilli flauët, rufis ex candido fuluefcunt, nigris nigricant. Quòd fi pars corporis alba macula, vel vitilagine vitietur, candidum creabit capillum: fi fufca maculetur litura, cōcolorè pilum euocabit. Sic pili, fetæ, auium pennæ tam priuatim q̄ publicè cutem imitantur. Candidis animatibus, vngulæ, roftra, cornua candida prodeunt, & nigris nigra. hoc præftat cutis alimentum, quod in exteriora colatum offunditur. nec ab ratione quidem hoc abhorret, quū caufa facile poffit iniri. Infantibus capita in eunte ætate flauescere folent propter penuriam alimenti, qua de caufa etiam capilli breues, rari & tenues erūpunt: procedente tamen vltèrius ætate nigrefcunt, fuppeditata copiofius alimonia. nec fecus pubertas, quū primū erumpit, propter humoris inopiam flauescit. Verum eò loci quum vberius se contulerit nutrimentum, rursus nigricat. Diutius pueri flauescunt propter alimenti penuriã, quod tum crescenti corpori adolefcētibus impenditur. In ijs qui promiffiore sunt capillo, proxime corpus magis nigrant, & summa quæq; ruffescunt. Sic & auium nigrarum pennæ prope corpus nigriores quàm summis partibus confpiciuntur: hæ tamen ceruices collaq; magis rufant, quòd paucum alliciant nutrimentum. Quū corpus peruenit ad complementū, pili fuluefcēt, fi quod superest alimentū, confestim ficcescat. Si iterū per imbecillitatē partis, calor non alliciat nutrimentum, humore celeriter reficcato, pilus exiliet candidus. Quod in veterinis facilè deprèditur, quorū mutilis partibus albus exit pilus. & vt fumatim loquar, imbecillæ partes, aut quæ vitio laborarunt, citius sentiunt caniciē, præfertim tempora. Animates cunctæ quæ fiue imbecillitatis caufa, fiue cæco naturæ vitio præcoci paucóque victu fufinentur, candidæ proueniunt: fic lepus inuenitur candidus. Item ceruus & vrfus, & in auibus coturnix, hirundo, perdix: præfertim quū quandam à primis statim vitæ rudimentis imbecillitatē retulerint. Sic genæ, fupercilia, per fenectam caniciem cōtrahunt. Quæ in genere eodē incana inueniuntur, ea nigris infirmiora conuenit effe. Siquidē nutrimento ante cremenū ob exiguitatē excocto, canescunt: vt in ijs qui malè valent fructibus, frequenter euenire diximus. Verum quoniam de coloribus sermonē agitauimus, quum plura videantur in fensibus oculorum difcrimina, quàm certæ nobis appellationes, nonnihil de generibus colorū, tam Græcis quàm Latinis v furpatis, quæ potiffimū ex herbarū floribus colligi poffunt, paucis perstringere decreuimus. Nanq; vt alias cōcinnitates omittamus, genera colorū in multas species sese fpargunt, plurimæq; sunt eorū facies non fatis vocabulis cognitæ. Quare ex herbarū floribus eos repræfentare non duximus alienū. Ruffus enim colos à rubore quidē videtur appellatus: sed quū aliter rubeat ignis, aliter fanguis, aliter oftrū, aliter crocum, has fingulas ruffi varietates, etfi fingulis propriisq; vocabulis latina nō demonstret oratio, omnia tamen ifta fignificat vna ruboris appellatione. quum tamen ex ijs rebus vocabula colorum mutuetur, & igneum aliquid, flammeū, fan

guineū, croceum, ostrinum dicit esse. Ruffus enim color habere quasdam distan-
 tias videtur vel augentes vel remittentes, vel mista quadam specie temperantes,
 vt flauus, ruber, rubidus, quem *ξανθὸν* & *ῥυθινόν* vocant, & fuluus & puniceus. Nec
 hæc sola sunt vocabula, sed rutilus, luteus, & spadix appellationes sunt ruffi co-
 loris, aut acuentes eum quasi incendentes, aut cum colore viridi miscentes, aut
 nigro infuscâtes, aut virenti sensim albo illuminantes. Nam phœniceus, quē de-
 tracto spiritu, & oe literis in vnum u coëuntibus, dicimus puniceum. item ruti-
 lus & spadix germani sunt & cognati colores. exuberantiâ splendorēque de-
 monstrant ruboris, quales sunt fructus palmæ arboris, non admodum sole inco-
 cti: vnde spadix & phœnicei nomen venit. Spadica enim Dorici vocant auul-
 sum cum fructu è palma termitē. Fuluus videtur ruffo atq; viridi mixtus in a-
 lijs plus viridis, in alijs plus ruffi habere. sic fuluū aurum, fuluā aquilam, fuluum
 leonem, fuluam arenam, Poeta vocabulorum diligentissimus nominauit. Flauus
 contrâ, videtur viridi, ruffo & albo concretus. sic flauentes comæ, frondes olearū
 flauæ Virgilio dicuntur. Rubidus autē & ruffus atrore & nigrore multo mixtus.
 luteus contrâ. Ruffus color est dilucidior, vndēq; ei factum esse nomē videtur.
 Proximum est melinum, quod ex locis in quo foditur habet nomen. eius vis in-
 sulæ cycladi Melo dicitur esse. Sed cæruleus, quē Græci cyaneum, & cæsius, quē
 ijdem glaucū nominant, viridi & albo temperantur. vterq; à cæli colore duxisse
 vocabulum creditur, quasi dixisses cæliū pro cæsiō, vel cæluleū pro cæruleo. fal-
 luntur qui à cera dictū existimant, plurimū reclamante coloris natura. Sed à flo-
 ribus, aut fructibus, interdū animalibus, purpurei diuersitates sunt petendę. Pur-
 puræ inuentionē Tyrij, teste Iulio Polluce, Herculi assignât, qui, vt produnt, in-
 digenam nomine Tyron nymphâ adamans, vsum eius casu quodâ reperit sui
 canis rostro, qui saxi irrepentē purpuram demordisset cruore suffuso: cuius la-
 bra cū insolenti inuisōq; prius infectū florere conspexisset puella, Herculé nega-
 uit sua cōsuetudine potiturū, prius quàm veste hoc eleganti colore saturata, do-
 naretur. Hercules itaq; sanie collecta, & feruentibus cortinis incocta vellus in-
 tinxit, quod coloratu purpureo dilucesceret. Tres animaduertuntur esse princi-
 pales. Vnus in cocco qui in rosis emicat, quo gratius nihil visitur aspectu. Alius
 amethystus, qui in viola relucet, ipsēq; in purpureū, quēmq; appellant ianthinū,
 tendit. Tertius qui propriè conchylij intelligitur, multis modis nitet. vnus ple-
 runq; saturator, alius in purpurâ inclinans, vt in malua, alius in viola serotina,
 conchyliorū vegetissima. Téperandi conchyliati coloris ratio hæc est. veteribus
 quū sunt lecta, ferramētis circunscinduntur, è quibus plagis purpurea sanies vt
 lachryma profluens, excussa in mortarijs exterendo cōparatur: & quòd ex con-
 charum marinarū testis eximitur, ideo ostrum est vocitatū. Id autem propter sal-
 suginē cito fit siticulosum, nisi mel habeant circumfusum. hoc ostrum excellen-
 tissimā habet aspectus suauitatē, id excipitur ex marino conchylio, è quo purpu-
 ra inficitur. Fiunt & purpurei colores infecta creta rubiæ radice & hysgino. Non
 minus ex floribus alijs colores cōparantur factitij. Itaque quū volunt pictores sil-
 Atticum imitari, violam aridā conijciant in vas, cum aqua feruescere faciunt
 ad ignē, dein quū est temperatū, conijciunt in mortariū aquam ex violis colora-
 tam, & ex ea eretriâ infundentes, & eam terentes efficiunt silis Attici colorē. Ea-
 dem ratione vacciniū temperantes, & hac miscentes, purpurâ faciunt elegantē.

Item herba, quæ luteum appellatur, cæruleū inficiunt, & vtuntur viridissimo colore. hæc autē infectiua appellatur. Sunt quoque natiui à metallis & factitij colores, vel austeri vel floridi. Vtrunque natura vel mistura prouenit. Floridi sunt quos dominus fingenti præstat, miniū, armenium, cinnabaris, chrysocolla, indicum, purpurissum. Cæteri austeri. Ex omnibus alij nascuntur, alij fiunt. Nascuntur sinopis, rubrica, paretoniū, quod ex locis quibus eruitur traxit nomen: melinum, eretria, auripigmentū. cæteri finguntur. Præterea è vilioribus ochra, cerussa vsta, sandaracha, sandyx, syricum atramentū. Sinopis inuenta est primū in Ponto, inde nomen à Sinope vrbe. Sed de his inter metalla differendū esset. Cæterum vt ad institutū redeamus, operæpretium putauimus à floribus colorum distantias edocere, quando paucis nostra ætate videntur colores exactè cognosci. Vt ergo ab ignorantia tenebris afferantur, per flores herbarū qui quotidie nostris oculis obuersantur, in cognitionē lucemq; reuocari conueniet. siquidem fieri non temere potest, vt ex tanto succrescente florum aceruo, vnus aut alter cuiusq; generis etiā ab imperitissimo quoq; intelligatur. Nigritia & candor satis omnibus constant. Nigri florū colores perquā pauci reperiuntur. nigricant tamē dictamno, circææ, lonchitidi, manico, solano, leōtopodio. Cādidi flores innumeri ferè notantur. Albus est narcisso, ligustro, sanguinaria, polygonato, cisto fœminæ, crithamo, orobanchæ, acaciæ. Albet & alteri phænio, thlaspi, arabidi, cyclamino secundæ, aristolochiæ rotūdæ, poterio, daphnoidi, acantho, thymelææ, phalangio, achilleæ, dorycnio, cicutæ, sesamoidi, sphondylis, scammonie, tithymalo fœminæ. lacteus emicat hyberidi, ornithogallo, in altero ranunculi genere & phænij. Lacte candicat moly. Ruber erumpit scordio, canabi, lysimachie, halicacabo, solano somnifero. Puniceus relucet anagallidi, papaueri rhœadi. Purpureus nitet asaro, betonica, glaucio, violæ purpureæ, vitici, cisto mari, cyclamino, veratro nigro, quibusdam ranunculi & phænij generibus, argemonæ, glasto, aristolochiæ secundæ, centaurio minori, chamæleoni albo, calaminthæ, spinæ albæ, delphinio, asteri, fumariæ, onagræ, triffagini, leontopetalo, onobrychi, medio, anchusæ, lycopsi, gladiolo, sideriti, supinæ verbenacæ. Sed in ijs floribus diligenter est attendendum, quoniā nonnulli saturata, alij dilutiore rutilant purpura. Cæruleo colore placent flores cyani & intubi, tam fatiui quàm erratici, quod cichorium solent appellare. item altera muris auricula, anagallis fœmina, cæruleo exhilarantur flore. Flos iris partim cæruleus enitet, quanquā varia colorum mistura instar cælestis arcus polleat, qui versicoloria facie diuersos mentitur colores, lucentiq; colorum nitore oculorum aciem præstringit, sic vt nostro visui credatur imponere. Glastum etsi insignibus virore cauliculis notetur, succo tamen inficit cæruleo. hinc traditū est, olim Britannos oblinere sese, vt cæruleo colore metum hostibus adferrent. Lutei flores emicant hyperico, ascyro, androsæmo, celticæ nardo, & elaphobosco flos in luteum inclinatur. Orobanche, erisimum luteis floribus vestiuntur: item ranunculi genus vnū luteis floribus nunc coronamenta necit, pulchritudiniq; gratia iam à rusticis nostris studiosè cœpit ferri, præstititq; cultus diligentia, vt fructili densiq; foliorum stipatu nunc in hortis flores collucescant, qui prius foliosa simplicitate limitibus irriguis frequētes gaudebant. Syluestri glasto flos luteus exit, itē panaci, peucedano, atractyli, tusilagini, violæ albæ, nymphææ secundæ, buphalmo, senecioni, thapsiæ, alteri

Veneris vmbilico, gallio. Fœminę verbasco flores ex luteo palleſcunt, mari luteū auri ſplendorē æmulantur. Panaces Aſclepij aureo flore coronatur. botrys frutex totus in luteum elangueſcit. Aiuga, quinquefoliū, hieracia, corniculatum papauer, aſter, florem luteū pariunt. Lyſimachiæ ruffus aut aureus ineſt colos, conyzæ luteus aut fuluus nitet. Anthemidi flores erūpunt verſicolori facie, in medio lutei, circinato orbe candidi, melini, interdū purpurei. Agerato flos aureis bullis illucet. Achilleam candidi flores purpurei vel aurum imitantes decorant. Sed grande in tripolio naturæ prodigiū. Fama eſt flores colorem ter in die demutare. Siquidē mane candidi, meridie purpurei, ſero punicei cernuntur. Cauſas itaq; colorū, rationes atq; temperaturas abundē ſuprà reddidimus. Verum vt firma diſputationi noſtræ iacerentur fundamēta, ex Ariſtotelico philoſophiæ penu coloribus nūcupato plurima deprompſimus, quibus ſerè ſingulorū cauſæ ac rationes breuiter colligi poterūt. Iam ad odores & ſapores noſter ſe cōuertat ſermo.

De odoribus & ſaporibus.

Cap. XVIII.



DE plantarum odoribus & ſaporibus poſt colores eſt diſſerendū. Odor eſt partis ficcæ ſapidæ in pellucido corpore demiſtio. idē aëris & aquæ commune intelligitur. Odorem permiſtione quadam contrahi, nobis argumento eſt, quòd ſimplex corpus nullum expirat odorē, niſi quandam miſturā conceperit. aër, ignis, aqua, terra, nihil odoris remittunt. Admiſtione nō vacant aquæ, quas odor aliquis comitetur, vt mare, & reſides aquæ, quæ putrem ac tetrū eructant odorem. Magnū omnibus in odore momentum, & magna cum ſapore cognatio. Ipſe nullus eſt aquis, aut ſi ſentitur, omnino vitiū eſt. In tribus tamen generibus odores verſantur, in plantis, animantibus, & ijs quæ hominum parantur arte. Odorum genera ſeptem putantur eſſe ſicut ſaporum colorūmq; ſed planius noſcētur in herbarum fructuūmq; natura. Malis odor ineſt acutus, perſicis dilutus, dulcibus nullus. nam & vinum tale ſine odore eſt, tenue odoratiuſ. Citreis odor acerrimus, aſper cotoneis. neq; omnes odores appellationibus reddi poſſunt. Nemo amarum odorem, ſaluſum, pingue, acerbum ſtatuerit. Genera tamen communiora quibus authores vtantur, hæc ſparſim tradita colliguntur. Suauis, grauis vel graueolens, acer, acutus, aſper, dilutus, viroſus, teter, putidus. dulcia raro odorata, ſicut odorato ſapor raro vlli non amarus. Itaq; vina odoratiora muſtis. Sylueſtria omnia magis ſatiuiſ. Quorundam odor ſuauior è longinquo, propius admotus hebetatur, vt violæ. Roſa recēs à longinquo olet, ſicca propius. Omnis autē verno tempore acrior & matutinis. quicquid ad meridianas horas vergit, hebetatur. Nouella quoque vetuſtis minus odorata: acerrimus tamen omniū odor æſtate media. Roſa & crocum odoratiora, quum ſerenis diebus legūtur, & omnia in calidis magis quàm frigidis. In Aegypto minime flores odorati, quia roſcidus & nebulofus aër eſt. à Nili flumine aromata quoq; minus odora ſentiuntur. Myrti mirum in modum odoratæ conſurgunt ad flauitiam. Non parum annus videtur conferre, quum præcipuè ſqualidus inceſſerit. Montibus, vt ſimplici tranſigam ratione, roſæ, violæ, & reliqui flores odore cedunt. Quorundam ſuauitati grauitas ineſt. quædam quum virent, non olent, propter humorē nimium, vt buceros, quod eſt fœnogræcum. Acutus odor non

omnium sine succo est, vt violæ, rosæ, croco. quæ vero ex acutis succo carent, eorum omnium odor grauis, vt in Lilio vtriusque generis. Abrotonum & amaracus acres habent odores. Quorundã flos tantũ iucundus, reliquæ partes ignauæ, vt violæ ac rosæ. Hortensium odoratissima quæ sicca vt ruta, mētha, apium, & quæ in siccis nascuntur. quædam vetustate odoratiora vt cotonea, eadēmq; decerpta quàm in suis radicibus. Quædam nõ nisi defracta aut ex attritu olent: alia non nisi detracto cortice: quædam verò non nisi vsta, sicut thura myrrhæq;. Flores triti omnes amariore quàm intacti. Aliqua arida diutius odorem continent, vt melilotus: quædã lucum ipsum odoratiorem faciũt vt iris, quin & arborē totam cuiuscunque radices attingunt. Hesperis noctu magis olet, inde nomine inuēto. Quibusdam flores odorati, folia vero inodorata. Quibusdam è diuerso folia magis & rami redolent, vt coronario generi: quibusdam fructus, alijs radix, alijs neutra pars. Iris radice tantum commendatur, vnguentis & medicina nascens. Nardum odore vehementer iucundo placet, custoditq; suaueolentiam pertinaciter. Olet vtique cyperum. Gallicum caule tantum & radicibus odoratum habetur: quare vt frugi syncerũmq; recondatur, in manuales fasciculos digeritur, & pauimento humenti charta prius instrato componitur, & post die dicitur huius sordes & puluis quo obsitũ erat eximitur. Asarum totum sentitur odoratũ, sed radicibus odor inest cinnamomo proximus. Per multa nardum odore simulant. Phu radici iucundus odor, vim quandam nardi referens, non sine tamen virosa grauitate. Malobathrum odorẽ nardi reddit, vt asarum, & Neris. Amomum odore origanũ æmulatur. Casia vinũ naribus obolet. Cinnamomo odor ferè, qualis in cardamomo inuenitur, nisi caput acrimonia tētaret. Costum odore suo nares validè ferit. Iuncus odoratus confricando rosæ odorem emittit. Aspalathus suauiter olet, item calamus odoratus. Agalochum odore iucundo suauitatem commendat animæ, colluto iure decocti ore. Helenij radix odorem expirat non iniucundum. Croci subacutus odor si nõ incolume situm redoleat. Saliunca tantæ suauitatis est, vt vestibus eam interponi sit gratissimũ. Iucundè olet ononis quum recens est, senectam sentiens, totam exuit gratiam. Laueris folia trita odorem spirant suauem. Mentha & menthastrum non in suauem vibrant auram. Nepeta gratum pulegij odorem imitatur. Saluia vehementi fragrat odore, sic vt quadam tenuis oleat virus. Dictamno inter sisymbrium & saluiam odor subest iucundissimus. Thymum, serpillum, thymbra iucundum efflant odorem. quapropter coronamentis nascuntur. Longè suauissimum sampucus ædit. Ocimum odoris vehemētia caput ferit. Smyrnio suauitas inest medicata, verum acrimonia gratiam diluit. Botrys mira iucunditate vestes cõmendat, quare conspergitur armarijs. Artemisia minor odorẽ sampuci refert. Non desunt herbæ, quæ sibi aliorum odores adsciscant. Scordium allij odorem mutuatur. Aiuga pinus odorẽ emendicauit, vnde ei nomen chamæpitys. Trifolium erucam subolet. Xanthium olfactu nasturtiũ æmulatur. Apiastrum citreum malum olet. Hyperici filiqua digitis friata resinofum reddit odorẽ. Marrubium olfactu pomum repræsentat. Smyrneon odore myrrham mentitur, ita vt alterũ alterius loco cedat. Pastinacæ daucique radices odoratæ esculentæq; si coquantur. Graui odore prædita sunt, marinum absinthium, ballote, aloë. polium, cannabis & apocynũ grauiter olent. Mandragoræ virosus inest odor. Cicutæ gra-

ueolentia. Anagyris tetrum quendam eructat halitum si vel rami moueantur, vel frutex ipse quatiatur. Sed de ijs multa quæ ad differentias foliorum pertineant superius memorata sunt. Verum quòd in eadem stirpe aliquæ partes odoratæ, aliæ prorsus inodoræ sentiuntur, id excoctioni ferendum est acceptum. Quæ vel in flore potius viget, alijs in fructu, alijs in frondibus & ramis. Rosa suauè efflat odorem, item croci flos. eorum tamen matres aut olent, aut odore penitus vacat, in quibus quæ infirmiori sapore prædita sunt, odoribus etiam suis grauitatem quandam repræsentant, vt lilium. Quædam nullam penitus reddunt suauitatē, sed graue virus redolent. Quæ diluta nihil linguæ resipiunt, hæc omnia pene sentiuntur inolida. Siquidem odor in mistione quadam consistit. Verum quæ nimio humore sunt imbuta, nimiam aquæ vim reddunt, quæ non recte permisceri potest. Sapor etiam natura aquosa constat. Atqui humor & aqua principia quædam habentur inolida. Alterum mistionē respuit, alterum copia sui non sustinet. quæ res ab odoris ratione prorsus abhorreere dinoscitur. Porro quæ vberiore satiantur alimento, seu quæ palustribus degunt, hæc odores nutrimentum planè referentes, graues eructant. Ergo cum radicibus, caulibus, ramis, eadem inuenietur mixtura, idem ab ijs odor expiratur: quibus varia, diuersus exhibit. Minores arborum flores odoratiores semper erumpunt. plus enim terræ in maioribus inest humori. Si tamen hæc non placet ratio, alia abs te melior ineunda est. Multis floribus nullus infidet odor, vtpote quum in eo prima & leuissima peragitur coctio, siue siccitas, siue aliqua successerit mutatio. Odorati quoque flores erumpente primū fructu suauitatis suæ gratiam exuunt, quòd iam plus insit humoris: nisi sint qui suo pte freti ingenio sub hac vi suū valeant odorem tueri. in summa fructus qui suauis gustu sunt, benè olent. Ex dulcibus nulli, & eo minus, quo dulciores sentiuntur. Mala dulcia odorē minimè remittunt: nanq; succus dulcis, crassior atq; terrestrior est, quū in fructu fuerit mistus. Odor autē humore tenuiori, sicciore, prospiratūque facili conflatur: sic dulce pertinacius esse censetur, quàm vt tenuem possit auram in nares expirare. Odor, vt summatim loquar, inuenitur, vbi nonnihil acrimoniæ aut pinguitudinis subest, vt lauro, cedride, terebintho. Fructus item vinosi, vt myrti, baccæ odore pollent. Nec secus frutex talium parens odoratus apparet: nec mirum, quū acrementum aliquod præferant. Eadem & coronamentorum ratio, vt serpilli, sisymbrij, & quorundam quæ in olera recipiuntur, vt apij, menthæ, rutæ, quibus siccitas apertè sentitur. Porro quicquid sapidum fuerit sicco remistum, vim aliquā pariat odoris definiendum est. Quæ siccaneis, tractibusque quibus placidior arridet aura, suauiora odoratioresque profiliunt. Quippe quū exhausta parte quadam humoris calor melius suo fungitur munere, reliquiasque concoctui cedentes perficit. Siccitas enim non parum odori suffragatur, eoque spectant odorata. cuius rei fidē facit, quæ æstuosis regionibus, meliora odorum genera proueniunt. Non desunt quæ siccata redoleant, viridia nullum prospirent odorē, quo in genere calamus & iuncus odorati nunc assignantur. Nonnulla postquā inaruerint, vegetiorē reddunt odorē, vt iris, fertula campana, œnanthe. Sunt tamen quæ contrariam nacta sint conditionem, quare vel odores exiles spirantur, vt in floribus fere cunctis qui virides atq; recentes notantur odoratiores. Verum curriculo vel potius momento temporis euanescente halitu fugaces hebetescunt, aut certè validiores edurāt, vt eorum quibus terreno

magis aquosa vis ammiscetur, qua per vetustatem exarescēte, quodam tempo-
ris spatio validiorē vibrant odorem. Hoc in genere cotonea mala collocantur,
& è coronamentis quę odoris acrimonia valent vt abrotonū, sampſuchum, cro-
cum. Quędam etiā suis arboribus decerpta fiunt odoratiora, quòd alimēto de-
fecta longè maiorem humoris iacturā faciant, quę à parente non potest quum
eruta sint refarciri. quare nullo amplius fulta cibo marcescunt. Sic pensiles vuę,
quòd per se nonnihil concoctionis adipiscantur, magis olent. Sic in herbaceo ge-
nera virentia quędam nihil repręsentant odoris, siccata tamē redolent, vt fœ-
num gręcum. Vinum quoq; vetustate sibi suauiorē conciliat odorē, quod effla-
ta parte aquosa discussioque vapore perficitur. Sic multa quidem ignaua alioqui
sibi per senectam adsciscunt odorem. Cæterū debilium odor vt fugax, ita cele-
riter euanescit, vt violę tam nigrę quàm candidę. Rosa odorē suum sicca tue-
tur, quanquam à longe virides etiam gratum ei aculentur, siccę non nisi propius
admotę. Nanq; iam duratę vernaculi caloris inopia halitum efflare nequeunt.
Habentur & aliqua quę nimiū resiccata deterius oleant, quòd acriorem durio-
rēmq; iactent odorē. Serpillo, sisymbrio, rutę, multısq; syluestribus herbis odor
inest durus omnis expers dulcedinis, vrbani eiusdē generis mitior. Persępe flos
in eorū genere quę odorata sunt, non spirat, sicut in multis odore carētibus flos
iucundo odore percipitur. nanque floris ipsius nascendi conditio quędam tra-
ditur. Quod verò coquitur, alijs quàm prius esset mutationibus obnoxıū se fa-
tetur. Igitur in ijs quę vacant odore, flos horum, quum humor excoquitur, odo-
rem nonnullum contrahit, quia concoctio in quadam mutatione versetur. Con-
trā quę odorata sentiuntur, odorem hac permutatione variant necessum est. q̄
si planē testentur odorem, flos minus exiliet odoratus. Hęc enim diuersitas pri-
stinum odorē hebetat, & eius suauitatem retundit, vernaculūmq; calorem infir-
mat. quare flos merito à suę parentis gratia degenerabit. Fidem facit huius rei,
quod in succis euenit qui solem sentiunt, vel ignē experiuntur. Quippe facta mu-
tatione quidam in melius vergunt, alij in deterius prolabuntur. Vis enim caloris
alteros concoctione perficit, alteros ex sua conditione perfecta deturbat. Porrò
quum res aliqua suo fine fruitur, permutans in deterius ruat necessum est. Igna-
uia quędam hebetatióq; synceri odoris accedit, quū emollitus ipse cœperit elan-
guescere: fitq; vt succus suapte natura ficcus in floris prouentu diluatur. quum
aliàs flos gigni nequeat, aliqua fiat odoris iactura par est. si dulces fructus natu-
ra creet, flores dulcedinē quandam ex parte maxima resipient, quasi mero vide-
licet acremento iam detracto dulcescat odor ac hebetior exolescat. Fructus syl-
uestres atq; feri, sui generis vrbani traduntur odoratiores, vt mala, pyra, sorba,
mespila. ipsorūque malorū tam agrestium quàm satiuorū quę sunt acerbissi-
ma, suauissimē redolent. Atqui quū odor coctura quadam contrahatur, quę ma-
ximē cocta fuerint, ea melius olere putandum est. Verum odoris ratio in conco-
ctione minus absoluta quàm saporis versatur. argumento quòd mala pyręque
plus reddunt odoris, si in plenum cocta non sint: plus tamen sapiunt, quū perfe-
ctam assequuntur concoctionē, quod in primis succorū mutationibus depren-
di non fuerit difficile. Nam quū flatilis quędam sit odoris cōditio, excoctus iam
succus pauciorē halitum ac aurā potest expirare. tum ergo minus odoris eiecta-
bitur, quūmq; concoctu crassior exultat, dulcedinē sensui gratam vsurpabit.

Syluestre genus itaq; priori coctione contentum vehementiorem concipit odorem. Urbanū quòd perfectiorem adipiscitur cocturā, alimētóque saturetur, succos in dulcedinem vertit, sed odoris ignauiam ac hebetudinem colligit. Porrò non parui refert in odoribus, si ficcitas, alimenti parsimonia, difflatio commoda processerit. quandoquidem quæ ficcaneis erumpunt, pauciore contenta nutrimento. Item quæ placido perflantur spiritu, procul dubio noscuntur odoratio-
 ra. Etenim humor sese largius immiscens, odorem obtundit & eius hebetat acrimoniam. Quæ dilutis & opacis tractibus degunt, inodora percipiuntur. Cæ-
 terum genus syluestrium aridius cernitur, ieiuniore donatum habitu, nec filens à flatu, sed magis atque magis auræ patens: hinc feruentior natura, quæ prospici-
 rat, tenuiorque succus halitui facilè cedens, quū nec succum urbani modo car-
 ni permistum gerat: quibus in vnū coëuntibus, non minimè gliscit iutus odor, quod in vino licet perspicere. Vinū enim dulce vtpote quod pingue sit ac cras-
 sum, nullum effundit odorē: sed quo tenuius fuerit hoc sentietur odoratius. fitq;
 cum fæx sidit ac ijt pessum, vt humoris partisq; terrenæ diuortium efficiatur, 15
 aquosamq; sortem calor exhalet, sic vt illa suavis olentia ijs tribus concilietur, extenuatione partiū, diuortio, & halitu. Nam in dolio, vinū quod fæci vicinum iungitur, minus redolet. Atqui quæ largū exhibent odorē, infatuam gustui mol-
 litiem repræsentant: quippe cum odor suavis & plenior illa vehementia, in eadē
 versari sede nequeunt. Quare si causæ tamen odoris saporisq; modus adsit, 20
 quod ex ijs cōflabitur suauissimum erit. Cæterū quorundam florum odor sua- uiter spirat è longinquo, propius allatus hebetatur, vt violæ. Id autē est causæ, quòd ad remotiorē locum merus odor syncerúsq; defertur. manant enim à cæ-
 teris partibus herbæ nõnulla, quæ permeare longius nequeūt, quòd terrena cras-
 fioréq; constent natura. quippe odorū synceritas generi imbecilli valentiore mi- 25
 stura commodior est. exempli causa. Myrtus mulso macerata, melius q̄ syncera redolere incēsa putatur. odor enim melior & dulcior redditur temperatus. Sunt & succi qui misturam desiderēt ad conquirendam suauitatem. Omnino odores plurimi synceriores mane sentiuntur, die crescēte minus, meridie minime, quòd omnia sol reficcet. Ad iuuādos odores magni refert cæli tēperies: quod in herba 30
 hesperide patet. hæc enim noctu plus redolet, q̄ interdiu, inde nomine inuento. Vetustæ porro plantæ nouellis odoratiores sentiuntur, quòd minus ijs insit hu-
 moris ob inopiam imbecilli caloris. Nouella plus alimēti fugit, quàm possit con-
 ficere: quapropter copia humoris hebetescit odor. tam frigore quàm gelu o-
 dodes densatu quodam retundi manifestum est. Nihil enim concreta coactaue 35
 possunt exprimere, vt velut violentia frigoris obliterari videantur. nullum ex-
 pirat vaporem quod frigore gelatū coaluit. Arbores sitúsq; odoratiores fieri tra-
 duntur, in quas cælestis arcus inflexus incubuerit. sed id arcus non per se, sed ma-
 gis euentu quodam exhibet: præsertim si qua subsit ambusta proxime materia, id suo-
 pte cōficit ingenio. Aliàs locis quibus constiterit, imber procidit, qui com- 40
 bustæ permistus materiæ vaporem quendam odorémq; ciet. siquidem neq; co-
 piosus delabitur, sed magna ex parte stillatim irrorant guttæ, ita vt caloris siccis-
 tatisq; modus non desit. Cæterum & crematio & permistio creant odorē. Ar-
 gumento eorum quæ incenduntur, ea modice ignem experta subolent. Nec om-
 nia genera odoratorū locis omnibus feruidis prodeunt, cum ea tamen odoris 45

fertilia esse debeant. Nanq; locis eiusmodi hebetiora permulta traduntur. Quippe
 pe cæli & alimenti conditio imprimis consideranda. Etenim in Aegypto flores
 cæteraque coronamenta omnium fere deterrima gignuntur, quia cælum caligi-
 nosum & roscidum habeatur, in quo nullus penè odor contrahi potest, quippe
 5 coquendi abest facultas: aridis longe melius excoquitur. Quæ vero circa Cyre-
 nam proueniunt, non nisi ratione siccitatis odorata consistunt, tum cætera tum
 vel maxime rosa & crocum. Ager enim tenuis, siccus, nec nimio feruore flagrans,
 cælo puro, sitientiq; lustratus, odoribus creandis aptissimus iudicatur. Rosa ve-
 ro & crocum, pauco alimento contenta sunt, & proinde cæteris odoratiora cre-
 10 antur. Sed occurrit miraculo dignum, quod de myrtis Aegyptijs proditur. Illæ
 odoris suauitate præstant: quanquã cæteræ penitus inodoratæ sentiãtur. Quippe
 tenuis illa myrtus Aegyptia est, fructu exiguo, nigro, quæ facies nihil odo-
 ris rationi repugnat, vtrunque enim siccitati fertur acceptũ. Quapropter fron-
 dis angustia maior, exiguitas fructus, nigricãnsq; colos, maiorem fatentur odo-
 15 rem. Et in summa, syluestres herbæ vrbans odoratiores, quæque in apricis de-
 gunt, præstantiores vmbatilibus exeunt, præsertim si ad meridiem spectent. ita
 obuersæ minus alimenti rapiunt, haustumque melius excoquunt. Cæterum o-
 doratorum quæ tractus frigidi pariunt rationem, calori in terra concluso refer-
 re debemus: vis enim caloris vtique percoquit. Quin & compulsus à frigore ca-
 20 lor obuersans etiam concoquendi naturam possidet, sed neq; limosam neq; pin-
 guem glutinosãve terram desiderat. humore siquidem obsessus lentoreq; ca-
 lor, minus probe suo fungitur officio. Hac de causa iris in Illyride melior exit,
 quàm in Macedonia. In Thracia verò cæterisq; frigidioribus locis ac cocturæ
 repugnantibus, odore penitus caret. Porro iuxta coronarias herbas, acria vt ce-
 25 pas, allia, & id genus ferenda præcipiunt, id enim multum conferre ad creandam
 odoris suauitatem adfirmant. Quod si verum fuerit, ad alteram harum causa-
 rum referre conuenit. aut quantum inibi mali odoris adfuerit, ea ad se alliciunt:
 alitur enim vnumquodq; re sibi consimili, attrahens cognatum vicinũq;, quo
 summoto residuum purius odoratiũsq; relinquitur. aut quòd locum suo edaci
 30 calore resiccent: siccis enim locis omnia proueniunt odoratiora. Succis præterea
 expressi odores facile trahunt, & maxime oleum & vinũ, quod assignari causæ
 minus posse videtur. Aqua tamen quæ & tenuissima omniq; odore saporẽq; vi-
 dua, nitidãq;, nullum potest odorẽ cõtrahere. At quæ crassa, sapida, olida, recipe-
 re possunt. Vinũ etsi non sit odoratũ, iuxta positum odorẽ quemuis ad se potest
 35 allicere, q̃ calorẽ in se contineat, qui attrahẽdi naturã habet. Aqua suapte natu-
 ra frigida nihil attrahere potest. Item quod excipere tueriq; odorẽ debet, tam te-
 nue, simplex ac exile noscitur, vt odor in eo susceptus elabatur atq; effusus eua-
 nescat. quasi sedimentũ insit nullũ quo figi & cohærere valeat odor. Etenim den-
 sius tãtum corpusculũ callosiũsq;, odoris tenax intelligitur: quod & vinũ & oleũ
 40 habet. Oleum odorẽ omnium maxime & seruare & tueri valet, q̃ incommuta-
 bile permaneat. quapropter institores vnguentarij odoramẽta in oleo mergunt,
 vt corũ suauitatẽ combibat. Ex siccis ea potissimũ quæ soluta, inolida atq; pror-
 sus insipida sunt, ceu lanæ, vestimenta, & alia generis eiusdẽ. permulta tamen ar-
 marijs inferuntur vt vestes odore commendent. Verũ enimvero quod odorem
 45 contrahit neq; præaridum vt cinerem & arenam, neq; præhumidum esse conue-

nit. illud nullo odoris transitui peruium patet, hoc diffundit ac diluit omnem odorem. Hinc vestigia leporum leuiter irrorato solo certius obolent, altius enim impressa firmiter hærent, nec sublimiter vagantia delitescunt, quemadmodum cum arida humus est: nec demersa in profundum abolentur, vt cum terra ob imbrem vel austrum limosa est. flatus enim & aquæ aduersantur extinguuntq; odores. Rosa exilis & ieiuna nullum ferè odorem ciet, debito caret humore. Neque viola candida locis admodum sitientibus atque tenuibus odorata sentitur, nec vbi cælum vehementer feruet, quia nimis resiccatur. Serpillum, helenium, & nonnulla generis eiusdem, siccitatis ratione acrius olent: cum tamen in vrbatum habitum traducuntur, mollius subolent. Omnia mediocritatem efflagitare certum est. quare magni refert temporum ratio. Neque permulta hyeme & æstate propter nimium humorem vel ariditatem redolent: autumnus in ijs temperiem seruat. Nec mirum quòd in meridie magis hebetescunt odores: mediam quoque temperiem aëris postulant. Iam ad saporum transeamus. Sapor partis siccæ terrenæque in humore demissio est, vel partis siccæ per humorem vi caloris percolatio, quod ferè nihilo differt. eadem ferè saporis & odoris affectio. Saporum genera numero complecti facile fuerit, cum & dulcis, pinguis, austerus, acerbus, acris, falsus, amarus, acidus inueniatur. Saporum genera tredecim aliquibus reperiuntur, dulcis, suavis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus, falsus. Præter hæc, tria genera sunt mirabilissime natura. vnum in quo plures pariter sentiuntur saporum vt vis: nanque in ijs & austerus & acutus & dulcis & suavis, omnes alieni. Alterum est genus in quo sit & alienus quidem, sed & suus & peculiaris, vt in lacte. Siquidem inest ei (quod tamen iure dici non potest) dulce & pingue & suaue, obtinente leuitate, quæ ipsa succedit in saporis vicem. Nullus hic aquis, ne succus quidem, vt tamen eo ipso fiat aliquis, ac suum genus faciat. Sentiri aquæ saporem vllum succumve, vitium est. Magnum in ijs omnibus in odore momentum & magna cognatio. qui & ipse nullus est aquis: aut si sentitur, omnino vitium est. Mirum tria naturæ præcipua elementa, sine sapore, sine odore, sine succo. Ergo succorum vinosus, pyro, moro, myrto, minime quod miremur vis. Pinguis oliuæ, lauro, iuglandi, amygdalis. dulcis vis, ficis, palmis. aquosus prunis. Sua & in odore miracula. malis acutus, persicis dilutus, dulcibus nullus. Nam & vinum tale sine odore, tenue odoratius. multoque celerius talia ad vsum veniunt quàm pingua. Quæ odorata, non eadem gustu tenera, quia non sunt pariter odor & sapor. Quamobrem citreis odor acerrimus, sapor asperrimus, quadam tenuis & cotoneis. nullus odor ficis. Odorato sapor raro vlli non amarus. Econtrario dulcia raro odorata. Syluestria omnia fere succo sunt acriora, sicut cunila, organum, ruta. solummodo ex omnibus, syluestre lapathum melius. Vfus eius in cibis leniorem gratiorémque saporem præstat. Quæ sunt syluestria in satiuis, ficciora intelliguntur & acutiora. Sunt autem acres saporum cunilæ, organi, nasturtij, sinapis, amari absinthij, centauriæ, aquatilis cucumeris, cucurbitæ, lactucæ. Acuti tantum cunilæ. Acuti & odorati, apij, anethi, feniculi. Salsus tantum è saporibus non nascitur, alioqui extra insidit pulueris modo, & filiquis tantum. Panax piperis saporem reddit, magis filiquastrum, ob id piperitidis nomine accepto. Libanotis odorem thuris. Smyrnæum olus myr-

rham refipit. Sapor is in herbis internoscendus. Symphytum petræum gustui
fiquis linguam consulat, dulcedinem repræsentat. Graminis radices dulces in
ore sentiuntur. Sylvestris brassica non sine tædio amaritudinis estur, quare cum
lixiuo coquitur vt sapore non iniucundo palatum titillans, magis placeat. Scan-
5 dix gustu subamaro sentitur. Lactuca sylvestris sapore amarulento non displi-
cet. Seris gustatu amarorem plane fatetur. Pastinacæ folia amaritudinem resi-
piunt. Absinthium insigni pollet amaritudine. Aloë odore graui gustatûque a-
marissima. Stœchas gustu notatur subamaro. Trissago planè sentitur amara.
Chamælæa suo amarore linguam vellicat & fauces exasperat. Empetrum quo
10 terreno propius fuerit amarius sentitur, maritimis montibus gustu falso poti-
us deprehenditur. Lepidio sapor acris ac gustum vellicans, item anemonæ: qua-
propter raptus naribus succus à capite pituitam elicit. Hydropiper citra vllam
odoris gratiam acri piperis gustu refipitur, vnde nomen & ab aqua duxit. A-
ron acre, sed multo magis arifaron: quare non nisi domita coctione prius acri-
15 monia estur. Nasturtium non paruum gustui repræsentat acrementum, qua-
re vt arbitror, à torquēdis naribus appellationem adinuenit. Dictamnnum acre
traditur, sed longe minus pseudodictamnnum. folia nepetæ acri gustu sapiuntur.
Cratægonum suo acremento linguam magnopere vellicat: nec secus clematis
secunda. Rumex gratum acorem gustui sumministrat. Sapor permistione qua-
20 dam efficitur, argumento quòd elementorū nullum vt aër, ignis, aqua, sibi sapo-
rem adsciuerit. Siquidem insipida est aqua: & vt veteres testantur, talis aqua cre-
ditur, qualis terra per quam influit. nam & mare quod falsum est, & nitrosæ a-
quæ acidæq; mistura non carent. Terra lapísq; nisi quampiam istiusmodi mistio-
nem capeflant, nullius saporis existimari videntur: etsi terra cæteris elementis e-
25 uidentius aliquem contrahere saporem liquidò constat. Nam quæ adustionem
sit experta & in cinerem redacta, sentitur amara. Argilla vero dulcis. ratio tamen
in promptu est, quòd partis terrenæ permistu sapor conflatur. Metalla verò &
lapidum genera nonnulla saporem gustui repræsentare certum est. Nanq; tam
cinis qui exustionem expertus est, tam reliqua quæ igni domantur, saporem
30 quendam contrahent, vel simplicia, vel humoribus commista. Sapores versan-
tur in tribus fastigijs, plantis, animalibus, atque ijs quæ arte parantur. In stirpium
genere natura eò tendere videtur, vt dulcedo cruditas sit, aut defectæ coctio-
nis rudimentum. Semper enim natura par faciens, consimile nutrimentum red-
dere molitur, tam in animalibus quàm plantis. neque enim dulces sapores o-
35 mnes hominibus conueniunt. nanque alij mouent insaniam, vt radix quæ car-
duo similis est: alij somnum accersunt, & si copiosius dentur mortem inferunt,
vt mandragoras. nonnulli lethales omnino putantur. Fidem huius rei faciunt qui
pluribus in locis radices ignotas dulces atque suaues edissent, mortem oppetie-
runt. Contrà pleraque amara ac prorsus insuauiu iuuant, vt absinthium, cen-
40 tauria. quorundam sapor qui cibus repudietur, pro condimento cæteris cedit,
vt falsus atque acutus. Cæterum dulces sapores ad alendum promptiores pro-
piusque ad naturam accedunt. Sapor enim dulcis omnibus gratus est, nisi for-
sitan ob imbecillitatem humani sensus oblitescat, vt dictum prius est. Porrò
stirpium omnium quibus insunt sapores, dulcem, amarum, aut pinguem dico,
45 eos concoctione prouenire declarauimus. Siquidem omnes plantæ in suis sapor-

ribus creandis per excoctionem transeunt ex vno saporis genere in aliud. Alia ex amaro in acerbum comitant, ceu oliua: alia ex acervo in dulcem aut acutum, vt pyra. Etenim quæ acuta sunt acerva prius fuere. Alia primum acerva fuerunt, mox acuta, deinde dulcia sentiuntur, vt vva. Quippe plurimas mutationes vva recipit, & omnino quæ saporem vinosum sortiuntur. primum enim dilutus quasi sapor sentitur, proxime acervus, tum acutus, hinc nouissime dulcis. Sic morum acutum ex acervo, & dulce ex acuto conficitur. & in alijs idem hoc vsu venit. Quippe vinosæ dulcedini proxime sapor acutus adiacet. Morum cum rubet acutius est quàm cum albescit. quo tempore propius ad excoctionis finem accedit, tunc creatio destinati saporis obtingit: cum albescit autem, acerbitas à dulcedine remotior est. Qua de causa & siccius albescens est morum, humentius cum rubescit, ceu iam succum saporémque suum adipisci cœperit. Fructus omnino primum siccus, deinde humescit. & hæc est saporum creatio humore plenius influente ac velut articulado perfectius augente. Nec temere maior pars fructuum acerva principio esse solet, quoniam sicca est. sed omnium humidorum siccissima esse putantur, quorum succus lacteus est, vt ficus: quibus gradatim ad perfectionem transitus fit. Cæteris pro fine interdum cruditas est. Sunt enim fructus complures qui & amari & acervi & acuti suapte natura perficiuntur. Porro quædam principio velut insipida dilutæque sunt, quorum perfectio protinus aduenit ante quàm plures fiant mutationes, vt frumenta, triticum, hordeum: neque dulcedo procul abest. itaque nihil varia mutatione fuit opus. Quapropter gemina gignendi saporis ratio est. Altera ex crudis ac pluribus ad perfectionem transit: altera insipida insuavisque simplici via ex natura confici solet, aut in annuis aut in arboribus. nam amygdalum principio aquosum sentitur, quandiu viride fuerit: siccescens autem, pinguiusculum. Sic & alia quædam in eo genere perficiuntur, quorum vel putamina vel acerva sunt, vel acuta: quod omnes sordes omnémque terræ callum eò vis naturæ secernat. sic natura ex commistis saporibus simplicem excernere saporem proiectione noscitur. Quocirca res contra quàm in cæteris euenire creditur. Quippe cæterorum creatio permistione conficitur, ijs detractone, seiunctioneque, principio dulci. Sic saporum creationes ex contrarijs in cõtrarios trahi putandum est. Omnium cõmunis materia humor subest. Agit & immutat calor, tum internus, tum externus, qui generi stirpium accommodatior habetur. Sunt certe mutationes succorum, quemadmodum fructuū cum expressi fuerunt, in saporis coctionis & corruptionis. quod liquet in vino, quod adultum & suo vigore, & in senecta fugiēs, certis saporibus indicatur. vetustate siquidem amarescit, quod aëri offuso ferendum est acceptum. Enimvero exigitur id quod tenue atque potui fuerat idoneum: quo exolescente terrenum amarumque relinquitur. quod si per violentiam atque præter naturæ institutum demutetur, coacescit. Corruptionis labe vitiatum degenerat in acorem. nam ex acuto in acutum velut materiam resoluitur. Quod corrumpitur, perhumescit & sæpenumero coacescit: quod senescit ac vetustate conficitur, resiccatur, parte terrena duntaxat extante. cum vitium corruptionis sensit, raro ad se redire potest. Cum per summa vinum fuerit immutatum, aut syderis ortu aut maris permistione, idem vitium cõtrahere solet. Saporum genera in plantis & fructibus præter falsum inueniuntur. In genere stir-

pium falsugo nulla sentitur: quanquam sint quorum summam partem falsilago quædam obducat, vt cicer. Salsum nihil alit, nihil quoque creat. argumento, quod falsis tractibus nihil prouenit. Nam falsum & erodit ac gignendi vires eximit. Adde quod falsus humor à nullo hauritur, quod & ponderosus sit & minime cibo idoneus. allicit enim vnumquodque quod ad alendum fuerit aptissimum. nullam enim vel mutationem vel corruptionem sentit: quin potius alia omnia vindicat à putrilagine. Quæ tamen in aliquibus inuenitur falsilago, summis in partibus residere cognoscitur, tanquam ex aëre, vel vapore qui sursum feratur contracta: aut radicibus summam tracta tanquam sordes erumpit. Ciceri familiaris & perutilis falsugo est. abluta enim cicero herba dum floret aut siliquatur, radicibus arefactis emoritur. id enim natura cicero condonauit vt vernaculum, quo posset se tueri ac conseruare. Quæ vero in folijs suis talem adoptarunt saporem, ablutio in aqua relinquunt. is gustu si lingua consulatur, aperteprehenditur. Cæterum non in carne sed putamine fructuum falsilago residet, vt inclusum semen à corruptionis labe vindicetur. itaque nonnullorum siliquas natura munivit, saporis sui custodiendi gratia. nanque & ab internis tanquam intrinsecus æditum excerni tanquam alienum, expuique foras consentaneum est. sicuti cucumerum amaritudinem per summa sentimus. Genuus quoddam pyrorum tradit Theophrastus Cariæ familiare, quod tam falsa obducitur lanugine, vt non estur nisi frequenter aqua subluatur. Nec mirum in glandibus amaritudinem insidere, & bulbis cacumine, & allijs acritudinem stylo spicæ intestino teneri. Quapropter latissime patet, etsi solum nihil sapiat falsis, quod ibidem nascetur pro naturæ conditione non nihil hauriet falsuginis. Multa etiam & suauiora & meliora eo sapore redduntur, vt brassica. acritatem enim & amaritudinem brassicæ insitam absomit falsilago. Fragile etiam quoddam efficit corpus totum, nimio humore sublato. quippe sal ad exhauriendum absumendumque humorem aptissimus. Ea cum mandatur igni melius coquitur, tenerescit, dulcisque sentitur. Nanque & iniectum & teneritudinem & decoquendi facultatem leguminibus adfert. Salsugine rosa ægrotare traditur: quam rigatu non infuso multæ iuuentur arbores. Natura falsis, vt Plutarchus scriptum reliquit, defuncta corpora à putrilagine labe vindicat. Nam cum mortuis inspergitur, ijs repugnat quæ ipsos trahunt in corruptionem, & ea debellans harmoniam retinet, & mutuam partibus amicitiam conciliat, velut diuina quædam anima quæ viuentes tuetur, nec in marcorem fatiscere patitur: sed vitam retinet, nec corporis molem vel labi vel corruiere finit. Sapor & suauitas aliquibus oleribus & herbis insidet radicibus, cæteræ partes minime respondent. item aliorum caules plurimum dulces, & cibi aptissimi sunt, folia minime. Causa creditur quod superiora dilutiora, humidioraque, radix tamen & caulis quia minus habent humoris, dulcedinem resipere queunt. aut contrà: si superiora nimium sicca, vt in arundinaceis, pars eorum superior arefcit, inferior rosida est. Sapor neque in siccitate neque in humore nimio residet. ita efficitur, vt graminis radix dulcis habeatur, partes superiores siccitatis causa insuaues ac insipidæ noscantur. In apio radices carnosæ sunt & gratæ palato, folia aciora animaduertuntur. In Aegypto, vt ferunt, arundo tota dulcedine scatet, sed pumila & breuis, vt tam superiora quàm inferiora humore fatientur. Verum vt

summatim dicamus, sapes naturæ vires nobis ostendunt. Astringens terrestri frigidâq; constat substantia, quapropter contrahit, densat, repellit, refrigerat, siccatur. Acidus aquosa & tenui frigidâque, proinde citra calfactionem incidit, extenuat, diuidit, vellicat, obstructions laxat. Amarus terrestris à calore bene laboratus tenuior astringente, ideo citra apertum calorem expurgat, deterget, digerit, menses mouet, è pectore pus elicit. Insiptus sapor frigidus est & aqueus, ideo cogit, cõtrahit, incrassat, extinguit, densat, stupefacit. Acris eximiè calidus igneæ naturæ: quapropter extenuat, purgat, calfacit, attrahit, digerit, vrinas molitur, sudores excernit, menses ciet, exest, adurit, crustas gignit. Salsus sapor terrestrem calidâque possidet naturam: ideo cogit, densat, contrahit, absterget, resiccat, diuidit. Dulcis sapor naturæ amicus paulo nostrum superat calorem, quare concoquit ac maturat, laxat, rarefacit. Oleosus humectat, mollit, laxat, aëria conditione. Etsi inodora crassis constare partibus, & odorata fere tenuibus constitit inter omnes, non tutum tamé fuerit vires & téperaturas ijs experiri. Nam quantum vel caloris vel frigoris illa referant, aut hæc quantam tenuitatem partium aut quantum calorem, compertum non est. nec certum à coloribus ferri potest iudicium, quòd in vnoquoque colorum genere & calida, frigida, humida, sicca reperiuntur. De ijs tamen omnibus noscendis, ad gustum tanquam iudicem æquum referri conuenit, qui continuo talium occurso dimouetur, vt merito super ijs sit consulendus.

De insitione.

Cap. XIX.



Ationem arborum aues primum docuere deuorato raptim per famem semine, & alui madido tepore cum fœcundo fimi medicamine in mollibus arborum lecticis abiecto, & vëtorum impetu sæpius in hiulcas corticum rimas translato. Vnde videtur enata cerasus in salice, platanus in lauro, laurus in ceraso, & baccæ simul discolores. Tradunt & monedulam semina in thesauros cauernarum condentem, eius rei præbuisse causas. Hinc nata inoculatio, quæ operiens in arbore oculum exciso cortice, gemmam ex alia sublata includit. Insitionem casus magister ad hunc modum exposuit: Agricola sedulus casam sepiis munimento cingens quo minus putrescerent fudes, limen ex hedera subdidit. at illæ viuaci morsu apprehensæ ex alieno fecere vitam, truncusque pro terra fuit. ratio postea duplex. Prima inter corticem & lignum inferendi. Timebāt prisci truncum findere. mox inforare ausi, in medio, ipsique medullæ calamum inferentes vnum imprimere. neq; plures capiebat medulla subtilior. postea vt mortalitati eorum succurreretur, ratio numero vel senos adiecit, succurrere persuasa trunco per media fisso, cuneoque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decusus descendat in rimam calamus. Tria sunt inferendi Græcis genera aut sub cortice, aut in trunco, aut emplastro. primum encen-trismon, secundum emphyllismon, tertium enophthalmismon vocāt, nostri inoculationem. Quæ densiore libro vestiuntur arbores & ex terra copiosum sugunt humorem, quales noscuntur ficus, olea, cerasus, sub corticem inferi desiderant: sed ante cuneus tenuis valido ligno constructus quo facilius imprimatur, inter corticem & lignum paulatim adigatur, sed tam diligenti manus libramen-

to, ne corticis fascia disrumpatur, subductoque leniter cuneo statim furculus
 mergitur. hanc inserendi rationem emphyllimon appellant. Porro quæ tenui
 cortice cinguntur, pauciori humore contentæ & foris exuccæ, tanquam humor
 relicto cortice in interioré medullam se recipiat: quales citrea malus, & vitis, &
 5 aliæ complures intelliguntur, fisso ligni medio furculi infiguntur. hunc modum
 insitionis Græci vocant encentrismon. In vtroque genere confestim inseren-
 dum furculum præcipiunt, ne diuturniore mora natiuus humor exanctetur. Sur-
 culi qui inseruntur sint nitidi, fertiles, nodosi, ab arboris parte quæ ad Aquilo-
 nem spectat acutis falcibus decisi, de nouo nati, læues, frequentibus gemmis præ-
 10 gnantes, bifurci vel trifurci, ab imo crure simplices, crassitudine digiti minoris,
 bimi, nam anniculorum salua sursum recurrēs auocatur. Falcis mucrone ab vna
 parte instar scriptorij calami salua medulla rescindantur, sic vt lignum ligno &
 cortex cortici possit committi. Surculi dera sum acumen cum fistula & hiatu in
 quem imponi debet, æquali constet magnitudine, ita vt exacutio & fissura sty-
 15 lum excipiens, binos digitos non excedant: quibus iuste coëuntibus nihil adi-
 mendum suadent. Vulnus tantum argilla muniendum, quòd flaua terra caudi-
 culos exurat. Porro magnam insitio affert vtilitatem, quòd arbores in se et-
 iam comprehendentes & vberiore & pulchriorem fructum largiuntur. Surcu-
 los finiente luna vel silente vellendos, decem aut paulo plures dies ante insitio-
 20 nem iubent, operto sic vase ne qua expiretur aura. Cæterum oportet furculos
 adhuc oclusos non dehiscere, insitósque ad germinationem properare. quare
 decem antè diebus aut plusculis, qui insitioni destinantur, legendi sunt. Sed e-
 docenda ratio cur statim eruti non sint inserendi. quippe si feruens adhuc tur-
 gēnsque furcultis in capacem rimam immittatur, necessum est quippiam eius e-
 25 marcescere antequam in vnum coalescat corpus: fungosam laxitatem inter
 excipiens lignum, & hospitem furculum intercedere, in cuius rimas hiantes
 subiens aër, prorsus in vnitatem coire non patitur. Quòd si dies aliquot pri-
 us vase claudantur, faceffet omnis iniuriæ suspicio, neque vinculoꝝ laxans
 mollities infestabit, neque inspirans aër officiet, sed breui tempore comprehen-
 30 dent. Surculi aquilonio flatu ruente non sunt inserendi, austro spirante poti-
 us. quoniam vt imber insitionibus in trunco prodest, sic insitioni sub cortice
 nocet. In trunco, ad Aequinoctium autumnii vsque celebrari optime potest: in
 cortice, ad usque brumam, & post Fauonij flatus, qui septima Februarij die spi-
 rare incipit, vsque ad solstitium. Sunt qui optimam in trunco prædicent post
 35 Canis ortum: rursumque æstate post restinctos Caniculæ feruores. Si furculi
 à longinquis tractibus deferantur, infixi luto in vase diligenter oblito, ne ven-
 tum sentiant, asportantur. Multa in ijs generibus seruanda. primum omnium
 quæ patiatum talem arbor, & cuius arboris calamus. subesse debet om-
 nibus succus, sed variè, non eisdem partibus. Vitibus ficisque media ficciora, &
 40 summa parte conceptus. ideo illinc furculi petuntur. Oleis circa medias succus,
 inde & furculi, cacumina sitiunt. Facillimè coalescunt quibus eadem corticis na-
 tura, quæq; pariter florentia eiusdem horæ germinationem furculorúmque socie-
 tatem habent. Lenta enim res quoties humidis repugnant sicca, mollibus corti-
 cum duri. Obseruandum item ne fissura in nodo fiat, repudiat quippe aduenam
 45 inhospitalis duritia, vt in parte nitidissima, ne lōgior multo tribus digitis, ne ob-

liqua, ne translucens. Virgilius ex cacumine inferi vetat. Certumque est ab humeris arborum orientem aestiuum spectantibus furculos petendos, & è feracibus & è germine nouello, nisi vetustæ arbori inferantur. ij enim robustiores esse debent. præterea vt prægnantes, hoc est germinatione turgentes, & qui parere illo sperauerint anno. bimi vtique, nec tenuiores digito minimo. Ante omnia gemmantes nitere conueniet, nihil vsquam vlcerosum, cicatricosum aut retorridum. Spei fauet medulla calami, si in matre ligni corticisq; iungatur. calami exacutio medullam ne nudet, tenui tamen fistula detegat, vt fastigatio læui descendat cuneo, tribus non amplior digitis. Calamus ad corticem vsq; suum deprimatur, ne laxetur, ne replicetur in rugas. ideo lachrymantes furculos inferi non oportet, nec etiam aridos: quia illo modo labat humore nimio cortex, hoc vitali defectu non humescit nec concorporatur. Id etiam religionis seruant, vt luna crescente vtraq; calamus deprimatur manu. Validius demissi tardius ferunt, fortius durant. contrarium ex diuerso ne hiscat nimium rima, laxèque capiat, aut ne parum exprimat, aut compressum necet. Hoc maxime præcauendum, vt præualidè accipientis trunco in media fissura relinquatur. Quidam vestigio fissuræ falice in truncis facto, falice præligat marginem ipsum, postea cuneos figunt, continente vinculo libertatem dehiscendi. si crassior truncus inferatur, inter corticem & lignum inferi melius est. Ficus, vt Diophanes est author, inferitur moro & platano. morus vero castaneæ & fago, malo, pyro syluestri, terebintho, vlmō, albæ populo: quo coniugio candida nascuntur moro. Pyrus inferitur punicæ malo, cotoneo, moro, amygdalæ, terebintho. si pyri furculi moro figantur, rubra pyra creabunt. Malus inferitur omni pyrastris generi. eadem cotonei coitu fecundata, poma dabit præsertim quæ Græci melimela nominant. similiter & pruno adigitur sed inuito platani consortio, rubra mala proueniunt. Nux in arbutum lam inferi voluit, cæterarum ferè societatem horret. Punica varijs arborum adulteris gaudet, vt salicis, laurus, fraxini, damascenæ pruni, & amygdalæ. quibus omnibus misceri lætatur. Damascena syluestri pyro cuiuscunque generis, cotoneæ malo, & pomo impacta coalescit. Castanea iuglandi, fago, & robori infixâ comprehendit. Cerasus nec perfici nec terebinthi respuit hospitium: nec contra, cerasi terebinthus & perficus. Cotonea oxyacanthæ consortium non aspernatur. Myrtus salici inferitur, & prunus damasceno & thasiæ nuci, hoc est amygdalæ. Citria malus cum tenui libro vestiatur, vix subter cutem recipit aduenam furculum, in nutritio parentis sinu potius alitur. Post coalitum emarcescit, quod sæpius probasse Diophanes aperte testatur. quod si fructum pareret, in cedrome la scribit degenerare. si tamè quis citrium in morum in seuerit, rubra feret poma. Cotonea malus & caprificus, arboris cuiuscunque consortium ineunt, nec vlli furculo denegant hospitium. Citriam malum in punicæ trunco fixam ali Didymus in Georgicis scriptum reliquit. Florétinus insitâ ceraso vitæ vuas vere ferre promittit: eandemq; oleæ impactam fructum promere, qui vtriusq; parētis adoptione elæostaphylos Græcis dicatur. Odorata pyra quàm optime, vt Diophanis testatur experientia, in malis comprehendunt, ea myrapidia nominat. Emplastratio & ipsa ex inoculatione nata videri potest. crasso autem maxime cortici conuenit, sicut est ficis. Ergo amputatis omnibus ramis ne succum auocent, nitidissima in parte, quaque præcipua cernatur hilaritas, exempta scutula, ita ne

descendat vltra ferrum, cortici, imprimitur ex alia cortex par cum sui germinis
mamma, sic compage densata vt cicatrici locus non sit, & statim vnitas fiat, non
humorem, nō afflatum recipiens: nihilominus tamen & luto munire & vinculo
melius. Hoc genus non pridem repertum volunt qui nouis moribus fauent, sed
5 apud veteres Græcos inuenitur. Emplastratio folis arboribus cōuenit quibus pin-
guis succus in cortice est, vt ficis, oleæ, persico. fit autem hac ratione. Ex nouel-
lis ramis feracibus & nitidis gēmam quæ adolefcēdi spem tibi dabit, duobus di-
gitis quadratis circūsignabis, vt ipsa statuatur in medio: & ita corticem subtiliter
acutissimo scalpro ne gemma lædatur, leuabis. Item ex arbore cui velimus inse-
10 rere, similiter cum gēma tolletur emplastrum, nitido tamen atque vberi loco.
tunc ibi conuenienter astringitur, & pressum circa gemmā vinculis cogitur si-
ne germinis offensa cohærere, vt ea quæ appositè redditur locum gēmæ prio-
ris includat. tunc luto superlines, & liberā relinques gemmā. Ramos superiores
arboris secabis ac stirpes, & viginti diebus exactis resoluto vimine vinculorum
15 inuenies externi seminis gemmam mire in arboris alienæ membra transisse. Di-
dymus inoculationem ante æstatis solstitium tēpestiue celebrari prodidit, quan-
uis ipsæ circiter vernum æquinoctiū cum germinatione turgent arbores, & gē-
mis grauidæ gestiunt. à die tranquillo cum cælum filebat, inoculationem etiam
spei fauentē auspicatus est. Sed quæ inoculatur arbor nodis & agnascēti sobole,
20 comāq; debet eliberari, relictis vberioribus nitidissimisque surculis, qui huic insi-
tioni destinantur. Fœcundæ arboris ex anniculo germine nitidū oculum ceu gē-
mam asciscere conuenit, circumrafo acie scalpri diligenter cortice, & caudici in
alterius vestigium imprimere. Purum corticem erugatū nec vlla sui parte cica-
tricosum ligare exacte decet, & lignum integrū & inuiolatū seruari. Hoc enim
25 perquam necessarium fuerit. Feliciter cedit si recepta hoc hospitio gemma in al-
terius sedem incidat. nam ita dubio procul comprehendit. Citra quoq; gēmam
vel oculum in pullulatione, altera caudicis parte insitionē hanc moliri nihil ve-
tat. Cæterum cortices crassitudine pares esse debent. & vbi coaluerunt, amputā-
dum quod supra compagem prominet, ne eò loci feratur alimentum, & à coa-
30 litu succus auocetur. cum surculi tria monstrabunt folia, vincula sunt resoluen-
da. Didymus sæpe non detracta ab anniculo surculo gēma, vt refert, per se reli-
cto in surculo insigni oculo inseuit, à tergo gemmæ corticē delibrans & lignum
instar scriptorij calami scalpens, cum ligno quod remansit, in vestigium vel la-
cunam impressit, generosioresque sibi arbores comparauit. Sinistra surculo-
35 rum latera quæ inoculationis beneficio coaluerunt, suos partus liberaliter fœne-
rantur. Nec est prætereundum silentio, quòd prudentes agricolæ adfirmāt om-
ne insitum procul dubio comprehendere, si depositis surculis, viscum non tem-
peratum in ipsa plaga pariter mergamus, quasi glutino quodam succos vtriusq;
materiæ misturū. Quartū insitionis genus sic retulit Columella. Gallica terebra
40 medulla tenus arborem perforandam, plaga interius leuiter inclinata, vbi edu-
cto omni scobe vitem vel ramum ad modum foraminis impressi delibratū, suc-
cidum tamen & humentem stricte imprimi vna aut duabus gemmis solis reli-
ctis. tunc argilla & musco locū diligenter operiri. ita & vites in vlmo inferi posse
commissas. Alij genus insitionis nouæ prædicant, quod in persico se fuisse exper-
45 tos asserūt. salicis ramum brachij crassitudine solidum, longum cubitis duobus,

aut amplius, terebrari iubent in medio, & plantam perfici in eodem loco in quo consistit, spoliata ramis solo capite relicto, per ipsum saligni manubrij foramen induci. tunc eundem salicis ramum terræ capite vtroq; demerso in arcus similitudinem debere curuari, foramen luto, musco, vinculis stringi. Anno deinde exacto vbi infra medullam salicis caput plantæ coheserit, vt vnitas sit ex duobus mista corporibus, plantam subtercidi atq; transferri, & terram aggerari, quæ arcum salicis cum perfici cacumine possit operire. Hinc perfici poma sine ossibus nasci. Sed hoc locis humidis conuenire vel riguis, & salices aquationibus adiuuandas, vt natura ligni vigeat, quæ delectatur humore, & superfluentem copiam succi germinibus ministret alienis. Infitionum hæc genera in priuatis singularum mentionibus docebuntur.

De stirpium nomenclaturis.

Cap. XX.



Tirpium nomina nonnunquam suis assignantur inuentoribus, interdum regionibus vnde in alios situs migrantes deuenerunt. quædam ab effectus excellentia appellationem traxerunt: aliæ ab euentu rei: nonnullæ ex aduerso sua ducunt nomina: quædam à fabulosis veterum narrationibus, quæ tamen hoc verborum inuolucro non nihil earum proprietatis ostendant. Sunt & permultæ quæ ab aliarum rerum similitudine nomen mutuuntur: & vt negotium paucis perstringamus, **R**osam triplex comitatur fabula, non nisi candidam per initia: mox vulnerato Veneris pede, dum Adonidi, quem Mars zelotypus interfecerat, opem latura præcipiti cursu per dumeta rapitur, adrubuisse: alij sanguine Cupidinis vt Ausonius: alij nectare affuso, ala Cupidinis in Deorum conuiuio lasciuientis illisa poculis. rhodon Græcis, vt Plutarchus inquit, nominatur, quod largum odoris effluuium emittat, ideoque rosa fugaci pulchritudine celeriter emarcescit. Refrigerat ea rutilante non ineleganti conspectu, in cuius summam faciem tenuis calor impulsus elucet. **M**yrtilum arborem Græci Mineruæ dicunt vt oleam, commenti fabulam, quod Myrsine Atheniensis puella fuit, pulchritudine ac robore insignis, amica Palladi, quam iuuenis ab ea cursu & palæstra superatus interemit. **F**abulosum Plutarchus existimat, quod Praxiteles asseruit, inuentum Melicertis corpus picea scaturisse à mari: esseque Megaris locum qui Caledromos cognominatur, quod puerum fruticibus arboris huius onustum remeasse viderint in mare. sic vt communi populi iudicio picea Neptuni coronamentum existimetur, etsi Libero patri, vt Lucanus putat, sacra dicetur. Quapropter ob honores Melicerti contributos, Neptuno, & item Libero patri, veteres, nec ab re, consecrarunt: quod vterque humentis fecundi fertilisque principij dominus habeatur. Cæterum Neptuno priuatim nuncupatur, non vt Apollodorus existimat, quod maritima arbor vetis vt mare lætetur, eorumque diffuses spiritus amet: sed quod fabricis nauigiorum picea expetatur. **G**ermanæ quin potius sorores habentur picea, pinus, strobili. namque materiâ nauibus præbent, suamque picem ac resinam funditus oblinendam subministrant, sine quibus in mari parum fidelis compaginum esset commissura. Libero patri piceam fecere sacram, quod vina reddat suauiora: quippe vitem locis picea scatentibus, iucundius ac gratius vinum proferre produnt. calorem causatur Theophrastus, argillam calidam esse, non nisi argillosis

piceam enasci, dolia pice & resina cerari, vina multis regionibus picari, non ad
 suauitatē modo conciliandam, sed vt protinus nouitatē aquosūmq; humorē vi
 num calore iutum exuat. In Isthmo victores picea coronabātur. **O**leam Græci
 fabulātur, Athenis terra aquis adhuc obruta primū emerfisse. cūmq; de loci prin
 5 cipatu certarēt Neptunus & Pallas loci illus amœnitate capti, Iupiter cōtrouer
 siam diluēs, pronunciauit eum potiturū dominio, qui de ciuitate melius merere
 tur, eamq; pluribus ditaret opibus. Neptunus hanc portu & naualibus ornat. Mi
 nerua in Acropoli oleam ædit fruticosam, fertilē, qua se coronās omniū calculo
 victrix salutata est. Hinc spectatores oleastro eos, qui certaminibus vicissent, cor
 10 ronabant. **V**itex à vitilium v su nomen traxisse videtur, Græci agnon vocant.
 quoniam matronæ in Thesmophorijs Atheniensium castitatē custodiētes, ijs fo
 lijs cubitus sibi sternūt. **H**alimū reperio in authoribus modo afflatā, quoniam
 maritimū olus credatur, halmyris à falsilagine dictū Aëtio, mihi placet aspiratio:
 modo nude scriptam, mirabili si credamus, effectu, quòd admorsa ea, fames in
 15 terdiu nulla sentiatur. vt nomen inde sit inditū ei, quasi famem arceat, nec aspi
 rationem prior litera recipiat. **C**upressos, à partu parilium ramulorum voca
 tas Græci volunt, *ἀπὸ κύνειν περιέσσειν ἢ ἀκρεμόνασ*. Eisdem Charitas appellari solitas
 Eteoclis filias fuisse adnarrant, quæ dum tripudio dearum subsilirent in puteum
 ceciderunt. **I**uniperos dici putauerim, quòd iuniores & nouellos fructus pa
 20 riāt. sola enim ferè arborum foetus suos in biennium prorogat, qui ne mature
 scant quidē, nouis superuenientibus. **O**leastrū Græci cotinon & agriælæam vo
 cant. Clauam Herculi ex oleastro volunt reuerso ex Hyperboreis fuisse, ignoto
 prius Græciæ, quæ mox spōte apud Træzenios aut certe Alpheum amnem re
 floruit, si Pausaniæ credimus. Celebratur & olea cognominata strepte ab intor
 25 ta specie, adiecta fabula circa Epidaurum euenisse ita ei circumactu manus, Her
 cule illac meante. **C**astanea græcè *διὸς βάλανος*, hoc est Iouis glans vocatur: cum
 tamen iuglandis appellatio nucibus tātūm regijs dicata sit à Latinis. Nuces vo
 camus & castaneas, quanquam propriores glandium generi. ideò appellantur
 apud Græcos balani Sardinæ, quoniam à Sardibus prouenere primū. Euboidas
 30 quoque à Græcis dici quas nos castaneas vocamus, lego. Sed & castaneas primo
 dictas scribit Phocion, quòd ab oppido Magnesiæ, quod Castanon dicatur, ad
 uectæ sunt: vt forte Diodorus castaniacas nuces inde nominarit. Quid si à casti
 tate, cūm Plinius ieiunijs fere dicatas eas innuat? Ex ijs Græci pogonias appellant
 quæ barbudas quasdam habent, nisi quis lanatas earum intelligat. sunt enim aliquæ
 35 pilis hirsutæ. Tiberius Cæsar balanū nomen imposuit satiuus, cura multo excel
 lentioribus. **P**ityn puellam vt Græci fabulantur, Pan adamauit, quā riuallis Bo
 reas zelotypus, quòd Pani potius adhæsisset, in saxa propulsans enecauit. miser
 ta Tellus in arborem puellæ cognominem, manente apud eos viuendi consue
 tudine, commutauit, sic Pana suis fruticibus coronat. Luget arbor collachry
 40 mans, q̄ in eam Boreas inspiret. **P**unicum malum à Carthagine laudatissimū
 inde nomen, vt à Medis medicum. Græci & arborē hesperida & malum eius he
 spericum authore Iuba vocant, qui ab Hercule translatum id in Græciam & au
 reum malum vocari scripsit. Hoc & nuptiale intelligunt, qui æditū à Tellure fa
 bulantur, nunciato Iouis & Iunonis connubio. sunt qui & assyriū vocent. Item
 45 citrum. nam vt cecinit Virgilius,

Media fert tristes succos tardúmque saporem
 Felicis mali, quo non præsentius vllum.

Nuces Græci caryas à capitis grauedine nominarūt. etenim arborum ipsarum foliorúmque vires in cerebrum penetrant. Hoc & minore momento in cibis nucleis faciunt, quibus etsi celebrentur, capiti tamen sunt iniquæ. Plutarchus dicit censet quòd noxium halitum capútque grauantem expirent, quo sub arbore iacentes offendunt. Democritus duo censuit ponenda nucum discrimina: basilicam, & ponticam que leptocaryon, hoc est nucula Græcis dicitur: & maiorē quæ regia cognominatur, siue quod idem est, basilica, hac vt arbitror ratione: Post gestum in Persas bellum, è finibus Graijs reges in suas regiones reportarunt, non uos fructus suis populis largientes, vt Sueuius vir longe doctissimus, huius rei testis est idoneus de basilicis loquēs. Hoc nomen sic denique fertur, propterea quod quondam cum rege Ponti nomine Alexandro Magno, fera prælia bello in Persas retulere suo: post inde reuentum hoc genus arboris in prælatis finibus Graijs disseuere, novos fructus mortalibus dantes. molusca hæc nux est, ne quis forte inscius erret. Iis basilicam nucem vel regiam è Perside primùm in Græciam delatam constat: eandémque moluscam dici nucem, scilicet quòd cæteris omnibus mollior sit: vt tarentina dicitur nux, quæ ita mollis vt vix attrectata frágatur. Tarentinam dicunt à tarento, quòd Sabinorum lingua molle traditur. Sunt de agricultura scriptores qui nuces & mala sic distinguant, vt nuces dicant omnne prunū quod foris duro tegatur & intus habet quod esui est: malum contra quod foris habet quod esui, intúsque durum recludat. Quibus constat finitionibus, persicum quod Sueuius inter nuces numerat, item moluscam nucem nõ inter mala debere collocari. quare mea opinione falluntur, qui hæc de malo persico putent intelligenda. **N**ux iuglans à gládus iuuamine, vt Seruius credit, dicta existimatur. Caius de verborum significatione refert iuglandem arborem dictam esse perinde ac Iouis glandem. nam id arboris genus nuces habet, quæ sunt suauiore sapore quàm glans sit. Hunc fructum antiqui illi qui egregium glandique similem ipsámque arborem deo dignam existimabāt, Iouis glandem appellarunt, quæ nunc interlisis literis iuglans nominatur. Et Cloatius ita memorat: Iuglans quasi diuglans dicitur. **N**ux auellana seu prænestina eadem est quæ ex corylo arbore pendet, à Prænestino agro nominata. eadem & pontica dicitur, indito à loco nomine, in quo copiosior enascitur. hæc & heracleoticam & abellinam patriæ vocabulo nominant. In Asiam Græciámque venit è Ponto, propterea nunc ponticæ, nunc heracleoticæ dicuntur. quo nomine Macrobius castaneas intelligi falso putat Oppium secutus. Idem qui persicum vulgo dictum, moluscam nucem esse putat, aperte hallucinatus est: cum is non de persico sed de nucem regiam & iuglande, quæ sit è Perside conuecta primùm ad nos, moluscam intelligat. nam & persicam nucem vocari tradit, Sueuij hominis doctissimi testimonio fretus. **T**arentinarum duo genera, fragili putamine & duro, quæ sunt amplissima & minime rotundæ: quas à frangendi mora moracias & moracillas sunt qui vocent, præterea molusca, putamen rumpentes. **N**ux græca suo nomine gentile suam fatetur originem. nam eadem quæ & cum amygdala & thasia Cloatius putat, alijs græca, videtur esse iuglans. Columella tria facit genera, græcæ, iuglandis, amygdalæ. Naxias item amygdalas Athenæus veteribus tradit appellatas, quòd

in Naxo insula præstantissimæ haberentur. **A**mygdalas Herodianus dici nar-
 rat, quòd post viride putamen multis scateat rimosis scarificationibus. Diocles,
 vt Athenæus refert, persicas nuces non minus castaneis alere, sed capitis dolorem
 ciere scripsit. **C**erasum arborem vt Athenæus refert à Cerasunte pontica ci-
 5 uitate primus in Italiã Lucullus intulit, debellato Mithridate: cuius malum ap-
 pellauit cerasium, gentili municipij cognomine. nunc trans Oceanũ & in Brita-
 niam quoq; vecta: in Aegypto nulla cura potuit euenire. quanquã Siphnius Di-
 phillus longè Lucullo vetustior, cum Lysimachi regis etate floreret, cerasiorum
 meminerit, quo tempore non deuenerãt in Italiam. Cerasorũ arborum pomum
 10 cerasium vocari Seruius præcipit: quod antequã è Ceraso vrbe Lucullus adue-
 heret, erat in Italia, sed durũ & cornu appellabatur: & postea misto nomine cor-
 nocerasium est vocatũ. Sed huic non est credendũ, qui cornũ in Italia fuisse cera-
 sum prodat, cũ alia res sit cornus, alia omnino cerasus cognoscatur. **C**ydonia
 Græci appellant, quoniam ex Creta primũ illata fuerint. quorũ genus vnum
 15 chrysomelum, hoc est aureum malum incisuris distinctum, colore ad aurũ incli-
 nato vocãt. Cotonea primus Cato nominauit. Cydonia, vt testatur Athenæus,
 à Sidonte Corinthi vico dicta, codymala prius vocata: Ermon à Cretenfibus
 tradit. Alij struthion malum cum dicunt codymalon intelligunt. Polemon flo-
 ris genus esse refert. **M**elimela quoq; dicuntur à sapore melleo. Eadem à cele-
 20 ritate mitescendi, Mustea vt inquit Varro, vocabantur. Pomorum inuentio Li-
 bero patri tribuitur. quod Theocritus cecinit,
 Atque sinu medio Bacchus sua mala recondit.
Poma, quòd indigeant potu dicta esse possunt. nam siccitatibus aquã addi Var-
 ro iubet. Mela Græci, nos mala vocamus. **P**ersica, mala ex Perside aduecta, vt
 25 ipso nomine apparet, Theophrasti temporibus in Aegypto tantum & vicinis lo-
 cis ferebat. Rhodo primũ ab Aegypto venienti fuit hospitium, ibique ad flo-
 rem vsque tantum proueniens. **E**pirotica ex Epiro inuecta primũ argumen-
 to est nomen. **O**rbiculata, Latini appellant ex figura orbis in rotunditatem cir-
 cumacti. **A**rmeniaca siue armenia peregrina & ipsa fuisse ex nomine cognosci
 30 tur. Armeniaca iam vocari desita, & præcocia vel præcoqua dici testis est Gale-
 nus. **L**otus faba græca, Seruio faba syriaca nominatur. **N**ympha in arborem
 sui nominis conuersa, quam Priapus fugientem comprimere quæsiisset. genistã
 Latini vocãt, quia fortasse genu modo flexilis ad nexus sit & ligãdis ideo vitibus
 idonea, vel quia genibus medeatur dolentibus. **A**taxo sunt qui Taxica putet
 35 appellata, quæ nunc Toxica vocãtur, quibus sagittæ tinguntur. In Arcadia ve-
 neni vel præsentissimi. lethale quippe. Baccis in Hispania præcipue venenũ inest.
 Vasa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta compertum est mortifera fuisse.
 Smilax Græcis dicitur. Refert Plutarchus taxum tam præsentis esse veneni, vt
 in eius vmbra dormientes enecet. Repertum est innoxiam fieri, si in ipsam ar-
 40 borẽ clauus æreus adigatur. Nec taxus vulgo sed literẽ prioris immutatione na-
 xus & naxius quoque dicitur. Quod nomen Dioscoridi fuisse cognitum video,
 vbi venena libro sexto numerat, non taxũ modo sed toxũ à Romanis dici cre-
 didit. **S**ambucum dictam puto arborem à Sabuca musico instrumento, quod
 alij pectida vocant, alij magadin. Sabuca porro ab authore videtur appellata,
 45 cui nomen Sambyx fuerit. v sam tamen ea primã omnium Sibyllam perhibent.

Sabucus dicēda est si Serenio Quinto credimus. Corticē arboris canopon Græci vocant. Paulus eius florem esse scribit. Arborē acten vocāt Græci vt ebulum, chamæacten pumilam sabucum. ¶ Thus à verbo Græco deos aut sacrificiū significante flectitur: aut forte à tuis glebis, vt tunc latinè scribi debeat. Cum in Fastis dicat Ouidius,

- » Tura nec Euphrates nec miserat India costum.
ex ijs locis in Urbem comportari non ex Arabia solitum. Arbor græcis libanos & dendrolibanos, lachryma vero libanotis à Galeno dicitur. Interim confundi vsum comperies. Sophocles vt Galenus. Euripides contrā, libanum pro lachryma, libanoton pro arbore thuris accipit. A iuvene Assyrio in hunc fruticem conuerso dictam Græci fabulantur, quem deos studiosissime colentem inuidi peremerunt: hinc nihil esse dijs gratius, quòd adhuc in templis eo supplicatur. Micas concussu turis elifas mannam Plinius est interpretatus. id autem fit gestatū atterentibus se glebis, vt inquit Aëtius. hypofisma, quasi succussationē Græci nominant: vt chondros, glebularum vel grana thuris, vt Plautus in Pœnulo, Qui nullum, inquit, thuris granum sacrificant. ¶ Lentiscum dictam putauerim, quòd liquore quodam lentescat, nam & resinā vbique sudat: mastichen vero dictam in Chio tantum insula ferè. Lentisci fructū Hippocrates schinida & arborem schinon nominauit. de qua libro de diuinatione Ciceronis carmen extat,
- » Iam vero semper viridis sempèrque grauata
» Lentiscus, triplici solita grandescere fructu,
» Ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi.
Sic hæc arbor ter floret, & arandi maturitatem ad signum floris accommodat. ¶ Laurus Apollini sacra propter Daphnen: quam Apollo adamauit in hac arborem, si credimus Ouidio, deformatam. Alij è Græcis tradunt Soli dicatā, quoniam ignea sit. fulmine nō icitur. Ignis abdicat salis modo crepitu, inde Græcis daphne quasi daophone nomen accipit, quòd inter vrendum sonitū elidat. quod Theocritus testatur ita canens,
- » αὐτὰ λακοῖ μέγα κέμπυεῖσθε, quod est, ipsa sonat igni crepitans. Prædicendi artem designat. Diuinationis deus Apollo censetur. Ea victores Delphis coronabantur. folium eius Latini lauream vocant, Cato loream. Vni arborum Latina lingua, nomen imponitur viris. Nam Tullius Ciceronis libertus Laurea nominabatur. Horatius laurum ipsam non solum Imperatoribus sed vatibus dictam cecinit: quod mirādum, cum hedera poetarum, laurus ducum fuisse legeretur. Victoriarum semper index, quapropter lignū eius vri prophanis vsibus, sed ne aras quoq; ipsas accendi eo fas erat. Laureolos quosdam veteribus dictos Iuuenalis & Martialis poetæ satis indicant. ¶ Tiliam Græci phelyrā, Latini quoq; phelyram & philyram, sed tunicas eas tenuissimas appellant, coronarum lemniscis celebres veteribus, inter corticem & lignum membrana contentas: è quibus vincula tiliæ vocantur. Cortex chartæ modo coronis texendis inseritur. ¶ Acacali nomē frutici, à nymphea datum crediderim Acacali, quæ ab Apolline compressa, Phylacidem & Phylandrū ædiderit in Creta. miraculo ab Elyræis insulæ populis conficte, nutritos à capra fuisse: cuius rei monumentū in Apollinis Delphici delubro mostrari tradit Pausanias. Apollonius poeta in Argonautico, Acacalin Minois regis filiam ab Apolline quidem vitiatā cecinit, sed quæ in Aphri-

cam relegata filiū ædiderit nomine Amphithoon, qui & Garamas quoq; vocaretur, Nafamonis & Caphauri pater, ex nymp̄ha Tritonide. **P**alma Græcis phœnix, victorię symbolum est, quod vt Aristoteles & Plutarchus inquit, nō cedit oneri quālibet ingenti, nec intra flectitur pandaturve, sed contra pondus resurgit. Ideoq; fere in coronarijs certaminibus aliud præmiū q̄ palma nō dabatur, vt ait Pausanias: etiam si Græcia quatuor tantum locis oleastro, pinu, lauro, & apio coronare victores mallet. Timæus scriptor tradit Corinthios cum Carthaginensibus bellum gerent, è Sicilia apium non detulisse, quod pleriq; sinistris auibus & inauspicato signo augurabantur. Sed vt Plutarchus refert, Isthmorū apij minerat, quo victores Corinthij coronabant. Quin & princeps Antigoni nauis, quod sponte naturæ circa puppim apium ædidisset, Isthmia cognominata est. Pars palmæ vnde fructus dependet spatha nominatur. Palmulas è mare plenes, è fœmina balanos appellari Iulius Pollux est author. Ipsos palmarum cum fructu termites baia & spadices Græci nominant. Siquidem in Delo Theseus cum certamen iniret, ramū sacre palmæ auulsit: quare vt Praxiteles memorat, Spadix, Plutarcho referente, nominatus est. Vbi primum ob honorem dei lauro & palma vincētes exornabāt. quare νίκη quasi μήνικος Græcis victoria dicitur, quod non cedat. Palmæ caryotæ celebrantur cibo, capiti iniquæ, vnde pomo nomen. In quo genere quæ longitudine præstabant, ab Augusto primum Nicolai nominata: ob honorem Peripatetici philosophi crebro ad se missitantis, viri & moribus & proceritate corporis insignis, vt notat Plutarchus. **S**iliquā Græci ceration vocāt à corniculi similitudine. Hæc digitorū hominis lōgitudine interim falcata, pollicari latitudine, in siliquulæ formā corniculatur, inde nomen. Prædulcis cibo cortex manditur. **A**rbutus græcè comaros dicta: Latini quoq; & arbore & pomum vnedonem appellant. Pomum inhonorū habetur, cui ex argumento nomen sit vnum duntaxat edendi. Galenus & Paulus arbutum comarum vnedonem à rusticis Italiæ vocari scribunt. **F**icus Græcis syce vocatur. Quidam gigantem nomine Syceam Ioue persequente à Tellure conuersum in ficū fabulantur. Vnde in Cilicia nomen sit inditum vrbi Syceæ. Sunt qui sycen hoc est ficum Oxyli ex Hamadryade filiā, vt alias quoq; arbores fuisse memorant. Pherenicus, recitāte Athenęo, tradit à Syce Oxyli filia nomē duxisse. Oxylus enim Orij filius ex Hamadryade sorore multas nymp̄has sustulisse fertur, nucē, glandem, cornum, oream, populum, vlmū, vitem, ficum. has quoque Hamadryadas nymp̄has appellari: à quibus arbores permultæ suas appellationes detorserunt. Pausanias in Attica primum æditas ficus putari tradit Cereris munere, in memoriam hospitij Phytalo donatas, quod & in monumēto eius testatum est versibus hexametris. Fici pomū νυκτηϊκός ab Atheniensibus, quasi ante alias fruges inuentum author est Athenæus, & quibusdam festis præferre pōmpæ solitum. Naxij ficum ipsam melichen appellant, à quo & Liberum patrem Melichiū ceu inuentorem eius vocant, vt Lacedæmonij Syciten. Græci pomum syca, arbore vero sycen & sycada: quanquā hoc nomine, vt Polluci placet, nouella ficus intelligatur. Nā ischades aridæ fici sunt, aut carycæ interdū. Inuenias apud græcos ischadas recentes & veteres dici. **S**ycomorus vtriusq; parentis nomen retulit ficus & mori. Sycaminon proprie mori pomum vocāt, & arborem sycamineā soli Alexandrienses mori nomen v surparunt. **S**alicem arbore appellat quod ea cele-

ritate crescat vt salire videatur. **I**ris ex argumento nomen accepit, quòd species & colores arcus cælestis floribus repræsentet. vt arqus aquarius, qui est imago malè solis expressi, caua nube recepta varios mentitur colores, cæruleosque versus virides aut purpureos velluteos ducit: sic calathi floris cõcauum versicolore linearum tractu rudimenta quædam arcus cælestis exprimit, non aliàs quàm gemma radijs ic̄ta solis rutilo aëris repercussu in proximos parietes eiaculatur, iris donatur nomine. Eadem quòd magna varietate sui admirationem augeat thaumastos, quasi admirabilis dicta est. **A**coron aphrodisiã quasi veneriã Græci vocant, & piper apium, quandoquidem suspensa earum aluarijs herba, nunquam diffugere proditũ reliquit Apuleius. **A**saron inuenio vocitari, quoniam in coronis non addatur, quasi manualibus scopis qui odoris gratia gestãtur, minime solita sit herba inferi. **C**rocus iuuenis ob amorẽ Smilacis virginis in florem eiusdem nominis cõmutatus est: quod Ouidius paucis explicuit,

» Et Crocon in paruos versum cum Smilace flores Prætereo.

Helenium ab Helenæ lachrymis natum tradunt, ideo in Helena insula laudatissimũ. fauere creditur formæ, cutem in facie reliquòq; corpore nutrire incorruptam. Præterea putant vsu eius quandam gratiam veneremq; cõciliari. Attribuentq; hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumq; quem habuerit Nepenthes illud prædicatũ ab Homero, quòd ea tristitia omnis aboleatur. Alij tradunt Helenam hanc primum seuisse, vt vescentes ea serpentes necarẽtur. **M**ilium à millaria summa deriuatum non à græco Festus existimat, apud quos cẽchros & Straboni cenchris dicitur. Hippocrates paspalen vocauit. Varro miliũ à Græcis deducit. nam id melinen inquit, vocant. Dioscorides & Theophrastus melinen pro panico intelligunt. A milio aues quædam miliariæ dicuntur vt Varroni placet. Durantissimum inter fruges panicũ, ideòq; Diocles medicus mel frugum merito appellauerit, paruis racematum paniculis, vnde nomen. **O**lyra siligo à Latinis auctore Plinio vocatur. Siligo vitium est tritici. nam omne triticũ lolio vliginoso, post tertiam sationem conuertitur in filiginem. Est & olyra Galliarum propria, quæ cognominatur arinca, vel Italiæ copiosa. **F**arrago ex recrementis farris prædensa seritur, admista interdũ vicia. Hanc Græci vocant grastin: alij viride hordeum interpretãtur, alij scœnum semiaridum intelligunt: vtiq; Pollux herbam & pabulum. **A**lica Sexto Pompeio dicitur, quòd corpus alat. **S**ecale extrita vna litera *secte* in Gallia nomen retinuit. hoc vt Plinius inquit Taurini sub alpibus asiam vocant, ad arcendã famẽ vtile, nigritia triste, sed pondere præcipuum. Admiscetur ei far vt mitiget amaritudinem eius. Triticũ dicitur quod tritũ ex spicis est. **L**oliũ Græcis *αλω* corruptis è tritico & hordeo seminibus. è lino quoq; nasci non desunt qui adfirmant. inebriat, vertigines facit. Lolium oculis officere testatur Plautus in Milite inquiens,

» Miru' st lolio victitare te.

» Quid iam? Quia lusciosus. Item Ouidius ita canens,

» Et careant lolijs oculos vitiantibus agri.

Fœnum græcũ à Theophrasto buceras appellatur, epiceras Hippocrati, quoniam semen habeat simile corniculis, inde siliquam nõnnulli appellant. Varro siliculam, Plinius siliciã. **L**inum à Græco sumitur. Semen eius, lino spermon appellatur. **L**egumina dicuntur Varroni quoniã vellantur è terra, non subsecen-

tur vt fruges. Ea clarissimis Romanis cognomina dederūt, sic Fabij, Cicerones, Lentuli, Pisones, à faba, cicere, piso, lente cognomenta retulerunt. **R**apam, q̄ ex terræ rure quasi ruapa, Varro dictā putat. Alij quòd passim rapiatur rapi nomen deflexū esse censent. A Græcis tamen manasse vocabulū facile videri potest, qui raphyn, & vt Glaucus exempto spiritu rhapyn, cōgenerem napum bunia-
 5 da nominarunt. Is vt Athenæus est author, apud Theophrastum cum buniadis non meminit, masculi rapi nomine veniat, cuius mentionem fecit. siquidem rapa biennio fata conuertuntur in napos: a lio, naps raporum naturam asciscit. Græci tamen à figura quæ plerunq; rotunda solet esse, vocabulum detorserunt,
 10 appellantes gongylen aut gongylida. Nanque quod in rotunditatem coactū est, vel in orbem circumagitur, γόγγυλον, hoc est γογγύλον dixerūt. Hippocrates hac persuasione fretus, gongylj vocabulum pro globulis orbiculisve qui deuorantur, quasi catapotijs, vsurpauit. Nec græcæ vocis nouitatē horruit Lucius Columella, qui carmine suo peractis Vulcanalibus,
 15 Nube noua feri cæli impendentibus vndis
 Gongylin, illustri mittit quam Nursia campo.
 Algoribus dulcescit, per quos & in radicē nō in folia capeffit incrementū. Buniadis appellationē à tumente figura, quā præferebat, Græci declinarūt. nanq; radix napi buniadis in amplitudinē excrescit, & in rotundū extuberat. Cliuos, colles, verrucosaq; loca bunos nominant. **R**aphanus sibi nomen ἀπὸ τῆς ῥᾶ φαίναν, id est q̄ facile appareat adsciuisse constat. nam die tertio à satū profilit. nostri radicem appellant. Quāuis, vt author est Marcus Varro, hoc vocabulū è Græcia venit in Latiū, cum veteres Græci radicē dixerunt quā nunc raphanum. Nisi quis arbitretur forsitan sibi radicis nomen arrogasse, q̄ cæteras amplitudine corporis superet, vel q̄ paucissimis magnitudine cedat. Etenim plerunq; in tantā molem coalescit, vt frigidis locis quibus gaudet in faucium puerorū magnitudinem æquet. Verum ne quemp̄iā nomenclatio remoretur, attendendū est apud Atticos appellatione raphani brassicā venire. Sic Aristophanem, sic etiā Theophrastum, & alios plerosq;, pro brassica cōstat vsurpasse. Quæ rerū variarū vno nomine significatio apud diuersas græcorū familias, nōnullis imposuisse videtur, præsertim Plinio vndeuigesimo volumine, qui genera raphani tria fecisse Græcos cōmemorat, foliorū differētia, crispī atq; læuis, & tertiū syluestre: atq; huic læuia quidē folia, sed breuiora & rotūda, copiosaq; atq; fruticosa: saporem autē asperū & medicamēti instar ad eliciendas aluos. quæ de brassica verbotenus à Theophrasto historiarū septimo volumine deprompta sunt. Ea brassicæ nō raphano referuntur. siquidē Marcus Cato vltima voluminis parte, quā brassicæ dicauit, tria fecit eius fastigia. prima est læuis, quæ nominatur λαία, grandibus & latis folijs, caule magno: validam hæc habet naturā & vim magnam. Altera est crispera, quæ à similitudine apij ἀλιποειδής vocatur, hæc est aspectu & natura bona ad curationē, validiorque quàm quæ supra scripta est. Tertia est quæ proprie crambe nominatur, minutis caulibus, tenuioribus folijs, & acerrima omnium istarum, succoque vehementissima, & nulla est istius modi medicamentosior. quæ omnia Theophrasti verbis suffragari constat. Sed ne longius aberret oratio, ad alias nomēclationes redeundū est. **L**apathum vel vt Theocritus protulit, alapathū, ab effectu nomen accepit, quoniam exinaniat. etenim Attici ἀλάπαθα quæ

nos inanitiones dicimus appellant: & *καταΐτεω*, vacuare vel exinanire Græci omnes dixerunt. Omnium generū folijs decoctis mollitur alius. **O**xylapathum quanuis anceps in acidum saporem vel acutam figuram videatur significatio, nomen sortitum est quòd folia desinant in mucronem. **O**xalis tamen ideo nomine donata est, quòd in gustu acorem plane respiciat, à quò sapore nostrū vulgus acetosam nominavit. Hanc proprie Romani rumicem appellarunt: forsitan vt opinor, quòd ab ea succus non aliter atque māma, quam rumen veteres dixerunt, sitiētibus exugi soleat. Nam foliorū acor quibusdā hauritur, vt lac ab agnis, qui in suis matribus subrumantur. de quo Virgilius in Moreto cecinit,

” Fœcundūsq; rumex maluæ violæque virebant.

Nisi quis à teli similitudine ductum nomen existimet, quod sparo cognatum in modum pedis recuruatur. cuius Lucilius meminit,

” Tum spara tum rumices portantur tragula porro.

Nec magnopere folium ab hac effigie noscitur abhorrere. Siquidem Græci nomen indiderunt à calceorum soleis, quorum folia quandam imaginem præferunt, anaxyrida vocantes: licet etiā sæpius pro calceamentis & fœminalibus vocabuli huius vsurpetur significatio. **H**ippolapathum Græci quasi grande lapathū dicūt, magnis amplisq; rebus hippo præponere soliti, ab equo excellētis amplitudinis animali magnitudinē mutuantes. Grandem ergo procerūmq; rumicē qui degit in hortis hippolapathū nominarunt, sicuti hippomarathrū & hipposelinū. Rumex ille etiā aquarū alumnus hydrolapathon nōnullis dicitur. sed quedā etiā genera palustribus familiaria, vt dictū est. sæpe tamen rumicis vocabulo omnia lapathi genera cōprehendi Latinis constat: quāuis peculiarius oxalidi & oxylapatho vendicetur. **L**apsana, q̄ folijs humū lambat, nomen inuenisse videtur, *ἀπὸ τοῦ λαΐσαι*, quod labere denotat. **B**litū nomen ex eo traxit quòd iners & fatuus olus esset, sine sapore aut acrimonia vlla. Nam *βλίτος* pro stolidis Græci dixerūt. Pompeius oleris genus tradit. & à stupore appellatum esse ex græco putatur, q̄ ab ijs *βλάξ* dicatur stupidus, quod nomen adhuc in vulgus nostrum manuit, scordes ignauosque homines bliteros, vel potius bliteos græca imitatione nominans. Sic quoque nisi memoria me deficiat, in Truculento bliteam meretricem Plautus appellavit. Quo nomine inertes mendici, & nullius momenti homines, qui focordiæ passim insimulantur, male audiunt, & hoc incessuntur conuitio. **M**alua nomen à mollienda aluo contraxit. maiorem Græci malochen teste Plinio vocāt in fatiuis. Alteram ab emolliendo ventre dictam putant malachen. Athenæus lōge aliter sentire videtur, qui secūdo Dipnosophistarū volumine tradidit, Atticos maluā malachen appellasse: cæteros potius græcæ lingvæ aucthores molochen. sic enim cum in plerisque veterū monumentis tum præsertim apud Antiphane & in Epicharmo scriptum legebatur. **A**triplex nunc dicitur herba quæ olim atriplexū, vt Pōpeius refert, appellabatur, ab atro vt aliqui putāt colore, tanquā faceret hydropicos morbosq; regios & pallorē: ideo damnatur à Pythagora. Addidere Dionysius & Diocles plurimos gigni ex eo morbos, quibus facies maxime decoloratur. Verū à voce græca potius q̄ ab atrore fluxisse nomen arbitror, nā atriplicis olus atraphaxin Græcis dici Columella perhibet. Hippocrates adraphaxin appellat. Hesychius adraphozō q̄ *ἀσπρὸς αὐξία*, id est statim in amplitudinē adolescat. siquidē octavo die à fatu profilit, cōfestimq; incremento

proficere conspicitur. Fidem celeris augmenti facit ereptum in confinio cæteris herbis alimentum. Ac ne in hortis quidem iuxta eum nasci quicquã tradunt nisi languidum. Atticis tamen d, literam in, t, mutare frequenter amantibus atraphaxis dicitur. Color atriplicis herbæ in luteũ elanguescit, vnde chrysolachani, id est aurei oleris nomen à Græcis inditum est: præsertim quòd olus hoc auri colorem repræsentet. Nec desunt qui tradant atriplicem luteo cerni flore, quapropter ab auro chrysolachani vocabulũ adinuenit. **B**rassica vt inquit Varro, quasi præfeca, quòd huius scapus minutatim præsecatur. idem Pompeius, affirmat. siquidem nunc tonsili nunc cymoso caule spectatur. Sunt qui dictam existimēt quasi passicam, quòd ex caule minutatim præficatur vt passa fiat. Brassicam vetus Græcia raphanon appellabat, quod & Aristoteles, vt Iulius Pollux tradit, & Theophrastus fere sequitur: quanuis à quibusdam dici cramben testatur. Aristoteles quinto de Animalium historia cum inquit, Erucas nasci in viridibus folijs, præsertim in raphano quã cramben, id est brassicam aliqui nomināt. **C**rambe Græcis dicta censetur quasi coramble, quòd pupulas oculorũ, quas græci vocant coras, obtundat hebetetque: in qua sententia putatur Lucius Columella de cultu hortorum, inquiens,

Nunc veniat quanuis oculis inimica coramble.

Attici quoq; coramben integro nomine protulerunt, alio sed potiore, vt existimant, etymi sensu, quasi $\kappa\omicron\rho\rho\iota\ \alpha\mu\beta\eta$ vel melius $\alpha\gamma\tau\epsilon\kappa\eta$, id est crapulæ satietatiq; contrahent. Nam vino aduersatur, vt inimica vitibus. Antecedēs in cibis ebrietatem arcet, & postea sumpta crapulã discutit. Olus hoc lachrymis Lycurgi à Libero patre vitibus adalligati natum prodidit Nestor, in eo libro qui Alexicepos inscribitur: pernicali forsitan cum ea odio flagrare hisce fabularũ inuolucris inueniens. Omnibus oleribus anteposuit Cato brassicã: propterea, vt inquit Varro, nomine oleris intelligitur, & ab olla dictum olus idem adfirmat. Verum quoniam præ cæteris grandi validoque turgescit caule, sibi generis nomen arrogauit: præsertim cum ei principatus hortorũ assignetur. Nunc enim cymoso nunc tonsili cernitur scapo, qui sæpius instar arborum tanta crassitudine proficit, vt infitionem non horreat, sed surculos earum admittens suo sinu fouet & alit.

Beta sibi nomen adsciuit, quoniam figuram b, literæ cum deprimitur ab oleribus refert. quod testatum nobis reliquit Lucius Columella suo carmine de cultu hortorum ita canens,

Nomine tum Graio, ceu littera proxima primæ,

Pangitur in cera docti mucrone magistri,

Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu

Deprimitur folio, viridis, pede candida.

Beta, Græci $\alpha\epsilon\upsilon\tau\lambda\omicron\upsilon$ ab impulsu nominarunt, etenim cultus ratione quadam incrementum capessit arboris, neque vlli hortensium latitudo foliorum maior. in binos pedes aliquando se pandunt, soli natura eis consentiente. quibusdam locis amplissimæ betæ proueniunt. **A**sparagi vt Varroni placet, dicti quòd ex asperis virgultis leguntur. Ipsi quoq; scapi asperi sunt non læues. Nisi nomen è Græcis manarit, illic enim etiã dicitur asparagus. Pompeius herbam ita dictã prædicat, qd in aspero virgulto nascatur. Veteres Græci qui altiles asparagos non videntur agnouisse, nomē eo deduxerūt, qd sua spē sine fatu prosiliret. Quãuis quæ primũ

in lucem prodeunt olerum germina, priusquam in folia explicentur, recentissimique turiones qui edendo sunt, a sparagi nuncupentur: quo nomine betæ, lactucæ, bliti, atriplicis, maluæ, rapi, sinapis, chamædaphnes, brassicæ, nasturtij, bryoniæ, pyrethri, radiculæ, primi cauliculorum partus comprehenduntur. quibus a sparagis Paulus Aegineta veterum autoritate & Galeni iudicio fretus, caput unum volumine primo dicauit. Athenienses, ut Galenus refert, aspharangu pronunciant. nec me præterit hac voce Græcis guttur significari. Corrudam etiã dici nonnulli volunt, quod ubi adoleuit, facile corruat, decidatue. Sic Attici horminium appellarunt, *ἄσφαρον*, quod est ruo. Idem à patria, libycum nominatur. **C**arnoglossam nomen ab agni lingua mutuatur. Folia siquidem linguæ pecorum simillima sunt. Latini plantaginẽ ducto à planta vocabulo nuncuparunt. Maior folijs laterum modo includitur, quæ quia septena sunt, heptapleuron etiã Græci vocauerunt: nos interdum graia, uti solet fieri, imitatione septineruiã. Quanquam Aeginetæ Paulo heptapleuron alia videatur herba quam plantago, id quod aperte in emplastro cui nomen est Botanicum, aduersus collectiones inueto demonstrauit. Quippe in quod tres quantur herbæ, Plantago ternis uncis, heptapleuron senis, leoneuron quoque ternis. **S**ion sibi nomen asciuit à concussu quod Græci *σείων* dicunt, nam excutienti vim nactum est, utpote quod renibus calculos emolietur, urinam & menses exigit. **L**auer ut mea fert opinio, nomen à lauatu contraxit, quod personatibus aquis enatum semper elui gaudeat. etenim citato lapsu repentibus undis, aut etiam resedibus existit: sæpe vero intumescens demersum inuenitur. **S**isymbrium dici putat Varro à Sisymbrio, quæ fuit, ut arbitror, veteribus comoedijs meretricula. coronam Veneris dixere nonnulli, vel quod ob odoris suauitatem quam præfert, eo iuuentus quæ amoribus gaudet coronata, in comessationibus suis blando odoris oblectamento suas illecebras commendaret: vel potius quod sisymbrij caulis articulatim per internodia verticillato florum ambitu concinne coronetur. Ab eleganti itaque corollarum venire nomen declinauit. **C**rithmon siue potius crithamon à seminis figura Græci deduxerunt. habet enim semen crithami nucleum intus tritici vel hordei figura, quod vocant crithen. vel detorsum *ἄσφαρον*, id est secernendo, vocabulum, quod rupto seminis inuolucro cerealem forma nucleum ostendet, excussisque flatu segminibus à paleis accibusque secernatur. **B**atim Latini ex aduerso nominarunt, emendicata tamen à Græcis appellatione, qui baton accessibilem dicunt. Nanque batis emicat in marinis fere scopulis & crepidinibus inaccessibleis. ex diuerso itaque quasi inaccessa nomen batis adinuenit. Iam tamen ubique vernacula toros hortorum puluinosque vestit, marinis licet oriunda litoribus. priora satiuus semper fuere syluestria. **C**ordum Lucius Columella satiuam batim appellauit, quasi serotinum & non nisi appropinquante vindemia condiatur, contra cæterorum morem quæ appetente Iunio, ante seminis maturitatem à salgamarijs reponuntur, non aliàs quam Plinius fœnum cordum autumnale fuit interpretatus, quasi secundarium & autumno à fœnifecibus vellere. Qua ratione cordum pecus dicitur à Græcis opsigonum, quod non præcoci sed serotino partu in lucem est æditum. **C**oronopus ideo græca appellatione donata est, quod cornicis pedem effigie representet. Sunt qui à Romanis sanguinalem vocent, quoniam aculeis armatur quinis in cacumine, quos conuolutos naribus inferunt ciendi sanguinis gra-

5 **S**onchus sibi nomen vendicauit ἀπὸ τοῦ σὺν ἰσὺν, eo quòd salubrè fundat succum, utpote qui sua sorbitione stomachi rosiones leniat, & lactis abundantiam nutritibus sumministret, genitalibus locis collectione laborantibus præsidio sit. Cicerbitæ tamen vocabulum, quo Hetruria adhuc utitur, nomēclaturæ cumulo videtur accreuisse, cum nusquam à Latinis vsurpatum inueniatur, nec legitima veterēque moneta percussum constat. Recēs itaque adiectitiūmq; nomen Dioscoridi adscriptum putamus. Nec illam veterum Romanorum venustatem olere liquido deprehenditur. Quapropter illo priscae latinitatis penu depromptum non est. **C**ichorium suo nomine Aegyptio venit in Græciam & Latium: hinc Flaccus cecinit,

Cichorea leuésque maluæ.

Quod etiam ab amaritudine picridis appellationem apud Græcos adinuenit. amarorem in Georgicis indicauit Maro scribens ita,

Et amaris intyba fibris. **N**anq; intubus erraticus cichoriū est, quem quidā Latinarum ambubeiam appellauere. Celsus ab intybo ambubeiam discreuit, syluestrem innuens intubum. Siquidem eo capite quod abstringendæ aluo dicauit, lenticulæ intubum, vel ambubeiam, vel plantagine, adiiciendam tradidit: statimque subiunxit, per se etiam valet intybus vel ex plantagine vel ambubeia fricta. Erraticum vel agrestem intubum cichorium ambubeiam & Græcis picrida eandem esse herbam censebit qui bonos authores euoluerit. Sed intubū Latinis utrunque complecti satium & syluestrem, vel si mauis erraticum, euidentius est quàm ut debeat probari. nam euellenda pratis intyba ac solstitiales spinas libro secundo Columella docuit, quæ de syluestribus intelliguntur. Satiua nanque pratis non exurgunt. Serim verò quam intybum dici Latinis Dioscorides tradidit, in satiuam & agrestem, quam picrida & cichoriū nominat, distraxit. Cui videtur astipulari Lucius Columella, qui conferendum præcipue genus intubi quod Græci appellant serim in satium cōtraxisse duntaxat videtur: qui tradit intubos nō esse extra remedia, erraticū apud nos, quibusdam ambubeiam appellari, in Aegypto cichorium, quod syluestre sit: satium autem, serim. Iulius Pollux author est appellatione cichorij syluestria tantum olera venisse. **C**hondrilla ab rei euentu nomen inuenit, quòd callū quendam tuberculo fabæ, gummi, mastichæ, aut nucleo thuris similem, quem chondrum Græci nominant, imis ramulis ostendat. ab hac tuberosa mastiche quam sudat, nomen merito sortita est. **C**ucumeres, ut Varroni placuit, dicuntur à curuore quasi curuimeres. Testaturque poeta Virgilius in ventrem augmētari. quare cum distenta tumescat aluo, quam plurimum summatim incuruari necessum est. Verba sunt Poetæ,

Cresceret in ventrem cucumis nec sera comantem.

Græci sicyn, aut Atticō more, sicyon dicūt. Demetrius Ixiō in etymis, ut Athenæus refert, est author, ἀπὸ τοῦ σὺν ἰσὺν, id est quòd venerem cieant, nomen cōtraxisse. cui sententię permulti non accedunt, præsertim cum veneri refragetur: nisi forsitan ex aduerso sibi vocabulum adsciisset, quòd appetentiam concumbendi minime stimulare. Hinc celebratum puto Græcis prouerbum, ut idem cōmemorat Athenæus, Texens pallium mulier cucumerem deuoret, quòd textrices magna ex parte (si credimus Aristoteli) impudicę sunt & opportune ueneri. Ut ergo ijs impetus infrenetur & elanguescat, adagium edendos cucume-



res textricibus cōsulebat. Nam venereorū auiditatem cohibere tradidit Diphilus. Matron suis carminibus Terrę filium nominavit. Heraclides Tarentinus hedygeon quasi terrę suauitatem. Cucurbitam à concuruatu dictam arbitror, quòd facile, siquid obstiterit aut fuerit impedimento quo minus extendatur, incuruescat. Græci, quātum equidem sentiam, ex aduerso vocabulum imposuerunt, colocynthen nominātes, quòd scilicet pumili breuēsque sint partus quos ipsa passim enititur, cum corporis mole omnes herbarum arborūmve fructus videātur superare. Euthydemus Atheniensis, libro quem de oleribus condidit, cucurbitam vocauit Indicum cucumerem, quòd semen eius ex India fuisset delatum. Menodorus Erasistrati sectator, duplicem esse cucurbitam profitetur: vnā Indicam quæ cucumis est, alteram vulgarem cucurbitam. sed Indica, magna ex parte coquitur in aqua, cucurbita verò torretur igni. Hellepontij longas, vocarūt cucumeres: rotundas, cucurbitas. Tanta porro naturę cognatio est inter cucurbitas, cucumeres, pepones & melopepones, vt sepe numero & proprietates & nomina Græci Latinique confundant. Ipsum quoque ventriosum instrumentum quod corporibus adfixū vel spiritu, vel leni scarificatu sanguinē elicit, Græci à cucumere, sicyam: Latini à cucurbita per diminutionē cucurbitulā cognominarunt. Latini siue cucurbita in globum tumeat, siue teres in longitudinem extendatur, eodem vocabulo sunt cōplexi: docuitque Columella qua ratione ex eodem semine tam rotunda quā longa nascatur. Globosæ verò cucurbitę cū penitus inaruiscent, à principio venerunt in vsus medicorum, nunc ex ære, cornu, vitroque confinguntur. Gentiles cucumeribus sunt pepones: qui cū magnitudine excesserūt, aut in longitudinē processerunt, quales multis locis nascuntur, pepones quondā vocari cœperūt, vt inter omnes cōstitit, à maturitate ducto nomine: ita vt cucumeres, qui quāto maturescunt magis, tāto solidiore cartilagine constant, lignosaque crusta durantur, in pristinę nomenclationis ambage remanserūt. Sed qui iam mites ac teneri maturitate flaccescunt, pristino nomine defuncti, pepones dici voluerunt. quod discrimen sentiētes Græci posteriores, à natura & euentu rei cucumeri vocē peponis sæpius adiecerūt, dicētes σίκυω πέποινα, id est cucumerem peponē, quasi innuāt mitem & maturitate tenerū cucumim. Cui sententię Dioscorides subscripsit, qui statim postquā cucumeris medicinas prosequutus est, in speciē descendēs peponis naturā percurrit, id est cucumeris eius qui pepo dicitur. Sed cū formā & effigiē mali referūt & humi rotundantur, melopepones Græci vocāt, facto ex pepone & malo nomine, quasi inter eos nisi figurę varietas intersit. Totū hoc genus Palladius melones quasi μήλαρα, id est pomosos appellauit: quod ferē nomen in omnem Italiam & Galliam abiit. A Theophrasto σίκυος, à Iulio Polluce quandoque περιμαρτίασ quasi seminarius dicitur. Pseusippus in similibus pro pepone sicyę nomen vsurpauit, nusquā nomenclatura peponis vsus. Contra Diocles Eucharistius peponē ubique nominavit, silentio sicyę vocabulū obliterans. Lactuce à copia lactis nomen adeptę: nam primū apud antiquos Italię hoc solum genus earum fuit, quod meconis vocatur, à magna vi lactis soporiferi. quāquam omnes somnum parere credantur. Purpureis & fucis & candidis à colore, crispis à figura nomē inditum est. Cæcilianā Cæcilius Metellus nomine donauit. Laconica, Græca, & Cappadox gentile cognomētum retulerūt. Ibycus Pythagoricę familię philosophus author est, Lactucam excaulem quæ in latum diffunditur



eunuchion dici, quasi spadoniam, quòd hæc maxime veneri refragetur. à mulie-
ribus verò astylida vocari. Nicander Colophonius memoriæ tradidit lactucam
apud Cyprios brentim appellari, qua pastus Adonis ab apro interēptus est. La-
ctuca igitur à Latinis dicta est, quòd abundantia lactis exuperet, quæ si virefcit
aut fulco purpureoq; colore nitet, vtraq; Cæcilia: si pexum densumque folium
pallor decoloret, gentilitio nomine Cappadocia dicitur: si crispissimū, Tartesia-
ca. quæ discrimina recte Columella ijsce numeris explicuit,

Iamque saluari properet lactuca sapore,

Tristia quæ releuat longi fastidia morbi.

10 Altera crebra viret, fulco nitet altera crine,

Vtraq; Cæcilij de nomine dicta Metelli.

Tertia, quæ spisso, sed puro vertice pallet,

Hæc sua Cappadocæ seruat cognomina gentis.

Et mea, quam generant Tartesi littore Gades,

15 Candida vibrato discrimine, candida thyrso est.

Cypros item Paphio quam pingui nutrit in aruo,

Punica depexa coma, sed lactea crure est.

Chærephyllum ideo dictum putat, quòd luxuriosa foliorū fœcunditate vire-
scat, & largiore coma frondescat. Erucam ideo dictam volunt quòd erodat.

20 & profecto si degustaueris eam, os & linguam satis acriter vellicabit: nam & be-
stiolas omnes innaſcentes corpori erodens conficit. Alij sic nominatam putant,
quòd vrendi licentiam nanciscatur, quasi dicas vrucam, u, in e, versa litera. Nec
desunt, cum edendo fit, efucam primum: dein facta, f, in r, conuersione, vt fit in
plerisque, erucam postmodum dictam contendunt. Apuleius ab hæredo quòd
25 pertinaciter comprehendens cohærescat: sed de bestiola teneras frondes eroden-
te, quam Græci campen, Latini erucam vocant, loquitur. Græcis euzomum di-
citur, quòd iura commendet habeatque in eisdem peculiarem gratiam.

Ocy-
mum, vt Pompeius tradit, à nascendi celeritate dictum est, quod Varro confir-
mat. siquidè à satu tertio statim die emicat. Sunt qui significantius per, z, scribē-
30 dum ducant ab ὄζω quod redolere denotat: quoniam herba tota suauissimum spi-
ret odorem. Est tamen ocymum farraginis quoddam genus vocatum vt Varro
ni placet, ab ὄζω verbo Græco quod valet cito, vel ab eo quòd citat aluum bo-
bus, & ideo ijs datur vt purgentur. Id genus pabuli sunt virides segetes sectæ an-
tequam gerant siliquas. Contra ex segete vbi fata admista hordeum & vicia &
35 legumina pabuli causa sunt, inde quòd far ferro cæsum, farrago dictum: aut
quòd primum in farracia segete seri cœptum. Ea equi, iumenta verno tempore
purgantur, ac etiā saginantur. Ocymū manibus carpendum iubet Cato. Quod
si falcula secueris non renascetur. Sed eo vsq; dandum bubus dum inarescat, id
erat è segete viridi defecta antequam gelaret. Plinius ocymū antiquos appellaſ-
40 se tradit pabulū vmbrae patiens, quòd celerrime proueniat. Hæc nobis dicta sint,
nequis idem fuisse putet apud veteres ocimum & ocymum, quæ tantum vna li-
tera dissidere videntur, vario supramodū significatu. Meretricula Corinthi que-
dā in comædijs Ocimū vocata legitur. Orobanche ab erui strangulatu nomen
adepta est, nam eruum & cicer circumligando se necat, strangulatque legumina
45 inter quæ nascitur. Cynomorion etiam eam appellauit antiquitas, à similitudine

canini genialis, non inconcinna repræsentatione si quispiam cõtempletur her-
bam, quæ glabro singulariq; caule profiliēs, conferctos inter se flores & quasi in
glomum collectos præmonstret, genialis canini effigiem præstare peruestigabit:
quod in summo crassius & quasi galericulo tectū cernitur. ¶ **T**ragopogoni vel
hirci barbulæ supra caulem calyx latus funditur, à quo promissæ pendent bar-
bulæ, inde sibi vocabulum vindicauit. ¶ **O**rnithogalum à lacteo gallinarū can-
dore nomen emendicasse videtur, cum flores foris herbacei, intus lacteo colore
niteant. nisi quis censeat ab oui candidi figura quam radix præsefert dictum.
Nam auicularum oua radix imitatur intus albissima. ¶ **M**edica natales suos ipso
nomine fatetur, locumque vnde venerit vocabulū indicat. externa olim Græciæ
à Medis est aduecta per bella Persarum quæ Darius intulit, hinc gentile nomen
retinuit. ¶ **P**orum, putant dictū quòd porro eat & longe latèq; grassetur. Græci
prason dicunt, à quo prafocurides quasi porricidæ vocātur virides bestiolæ, quæ
hortorū olera detondent, vt tradit Theophrastus: quare Palladius apto vocabu-
lo herbicidas exposuit. ¶ **C**epa vel in neutro cepe à capitis magnitudine dictum
volunt, græcè crommyon, quòd oculi pupillam cõprimi cogat, Aristoteles in
Problematis vocari tradit. nam oculos vellicando expressis subinde lachrymis
contrahi pupillas oculorū certum est. itidem testatur Athenæus. ¶ **S**corodon, vt
Aristophanis enarrator in Pluto tradit, dicitur quasi *σκαιόν πόδον*, id est rudis & in-
iuria rosa, quæ aspere supra modū redoleat & olfacientiū nares offendat. Atheniēs
ses cum inopia premebat annonæ, aut cū publica fames ingruebat, alijs vesce-
bātur. Latini allium vocāt, vt puto, ab græco *ἀλλιαδα*, id est quæ exiliendo crescat,
sed aphri vocabulum, ancipitem fecit vlpici allij nomenclaturam. Nam vel ab
Aphrorū gente sibi vindicauit appellationē, quod & Columella testatur iniquiēs,
Vlpicum quod quidam allium puniceū vocāt, Græci aphroscorodon appellant,
longe maioris est incrementi quàm allium: id quod etiā Plinius non diffitetur, cū vlp-
picum alijs Cyprium allium præcipue Africæ celebratū inter pulmentaria ruris
contendat. Vel ab spuma quam ijdem aphron vocāt, ad quod satis accedere vi-
detur Theophrastus septimo de platarum historia volumine, qui Cypriū allium
cõmemorat ad pulmentaria ruris vsurpari, cõtritūq; turgentē flatu, mirū in mo-
dum offam extollit. Cui Plinius astipulatur eadem verbotenus ab eo detorquēs.
Celebratū, inquit, inter pulmenta ruris grandius. allio trito in oleo & aceto mirū
quātū increscat spuma. Liberū æstimātibus iudiciū relinquitur. Nam siue aphro-
scorodon, spumosum siue puniceū vel africū interpreteris, nō magni referet, nec
quicquā authorū placitis videbitur alienū. ¶ **S**inapis nomen è Græcia venit in La-
tium, censetq; dictū Athenæus sinapi, *ὅτι ἀνετολε ἴδω ἑπεί εἰ τῆ ὀσμῆς*, videlicet quæ olfactū
luminibus officiat. Pleraq; Græcia napy nominat quasi naphy, vt idem interpre-
tatur, quoniā non sine natura fit, sed acri & proinde incōmoda, donetur. Addit,
vel quod pusillo sit corpore, nanque *ἀφύς* dicunt quod natura priuatum fit, inde pi-
scis apua nominatur detracta aspiratione. Alij napy per priuationē videlicet *νύπιον*,
quasi immite dici volunt, quoniā acremētī vehemētis particeps fit. Feruidū sina-
pis semen & acerrimū habetur, quòd aperte Nicæder in Georgicis testatur canēs,
Semina tractanti morsum factura sinapis.

Quare festiue potius quàm ioculariter lepidissimus Græcorū comicus Aristophanes
in Equitibus suis, cum Cleonem ira percitum, rugosa caperatāq; fronte, vultūq;

rubicundo, truci aspectu, oculis velut emissitijs, lumen vltro citróque iaculantibus, furorem hominis demonstrans, sinapi conspexisse dixit: quasi indignandum excandescentemq; virum innuens. Versiculum eius subiunximus,

καὶ βλάψε νότυ καὶ μέτωπ' ἀνέσσωσας: quod est sinapim conspexit & frótem contraxit.

Nasturtiū vt Varro narrat, nonne vides in eo dici q̄ nasum torqueat, vti vestipicam quòd vestem spiciat? Quem Plinius imitatus subdidit, nasturtium nomē accepit à narium tormento, & inde vigoris significatu prouerbij id vocabulum vsurpauit, veluti torporem excitantis: iubente nobis adagio mandendum esse nasturtiū, vt inertibus animi vigorē suscitet & mentis vim obacuat, venerémq; coërceat. Nec dissimili vt opinor, ratione quòd caput edomet quasi *καρδιόδαμον* Græci cardami nomen deflexerunt. nam arcē mentis obsidens suo ferit acremēto, & ignea vi præditū caput tentat. Sunt è Græcis qui *παρὰ τὸ κόρασ' μίεν*, id est q̄ pupillas oculorū coëuntibus vnà palpebris abscondat ita dici cōmemorēt: nam luminibus admotū subinde cogit conuiere & genam genæ cōmitti. A quo vt

volunt euentu, *καρδαμύττειν* verbū declinarunt, quod conuiere nostra lingua dicimus. Nec desunt è Latinis qui hoc olus dictū existiment, quòd cordi cōmodum & vtile natura fecerit. Forsitan quòd eo Persæ homines olim frugi quotidie cū fale vescebantur. hoc viscus Græci *καρδία* appellant. sed nullis hæc veterum placitis innituntur, sed magnopere cum Græcorum etymo pugnāt.

Erisimon *ἑρίσιμον* nomen mutuasse creditur, id est à multiplici foliorū sectione. nam erucæ modo laciniata conspiciuntur. Nisi forsitan ab oleris præstantia quis dictum velit, quasi eritimon, quod est pretiosum & nobile. Quare vulgus nobilem erucam appellat, Latini Irionem ab irruendo, quantū existimo, dicunt: q̄ ignea vi,

& feruido sapore irruat in gustum. **T**hlaspi, vel vt Galenus thlaspe, nomen inuenit à semine quòd lenticulæ sit effigie, nisi quòd infringitur. *θλάσπιν* enim infringere est.

Hydopiper nomen, vt Galenus est author, à locis quibus nascitur & piperis sapore quem præse fert, possidet, quasi piper dixeris aquatile. nam iuxta stanteis aquas aut profluentes pigro lapsu prouenit. quare à natali solo & pipere quod gustu imitatur, appellationē contraxit. Piperi peregrinum nomen esse

quod tandem venit in Græciam testatur Athenæus, qui nullum neutrum in. i. finiri tradit præter vnum meli. Reliqua vt gūmi, cyphi exotica sunt. nos Græcorum imitatione piper dicimus, quanquā & ij peperis pronuncient. **L**anaria herba ob eximum in vetere lanificio & singularem vsum nomen habuit. Nam cum succidæ lanæ cæsypo spurcatæ, qui concretus in sordes ouiu sudor intelligitur, colores respueret, prolutæ radicis huius succo, ad quoscunq; suffectus imbibendos præparabantur, quibus cæsypū erat impedimento. sic sordescentes hoc vnguine lanas veteres eluebant, ad munditiem contrahendā, quæ primū ab infectoibus quærebatur, sordidis colores aspernantibus: sic quoq; Romanis à potiore vsu radica nominatur. Quin & tota fere radice constat, quam summo cespite non

in altum vltro citróq; per longitudinē fundit, prodeuntibus ex interuallo quasi geniculatim folijs, plerunq; quin in vnū coëuntibus, ex quibus coliculi cum floribus emicant. à præcipua ergo parte & vtiliore radiculā appellarunt. Græci struthium, sed vnde non mihi satis patet, nisi forsitan à foliorū positu quæ auicularum alas quadantenus imitantur, illi nomen indiderint. nam gens ea struthium

passerem & minores alias appellat aues. Vel forsitan quòd venerē stimulet. nam

lasciuos & procliues in cōcubitus homines struthos nominant. Porro struthē
 vt est apud Festum, vocant obscēnā partem virilem: à salacitate videlicet passe-
 ris, qui græce struthos dicitur. qua imitatione Martialis Catullusq; passerē pro
 virili membro in suis versibus vsurparunt, vt doctis audio placere, quibus visum
 est vt qui aliter censeant à veritate profecto desciscant. **D**racunculus nomē ac-
 cepit quòd versicoloribus anguiū notis caulis suggilletur: siue, vt Plinius vult,
 à cauda quæ illi rutila est, & draconis intorti modo conuoluta. **C**yclamino no-
 men Græci fecerunt circumactam in orbem eius circinationem contemplati,
 ἀπὸ τοῦ κύκλου, quasi ab orbe cyclaminū, id est orbicularem dixerunt. Romani rapum
 terræ, quoniam in terra velut rapum extuberat: qua ratione terræ tuber, quòd in
 molem quandam intumeat, aut vmbilicum terræ: quoniam vt vmbilicus circi-
 nata forma emergit, sic & cyclaminus sub terra conspicitur. siue libeat vmbili-
 cum mediam animantis partē, siue extremam voluminis clausuram, quæ velut
 nodus opus finiebat appellare: quē cum attingimus & finē assequimur, peruenisse
 dicimus ad vmbilicum. **L**epidium suā vim ipso vocabulo fatetur, quod lepidas
 & maculas in facie delet & repurget, quas Columella vocauit fucas, inquit,
 „ Ponitur & lactis gustum quæ condiat herba,
 „ Deiectura quidem fronti data signa fucarum,
 „ Vimq; suam iccirco profitetur nomine Graio.
 emendat cutē in facie & lepras tollit. **B**atrachion siue ranunculum dici puto, quod
 limitibus humidis opacisq; marginibus ranarū more lætetur. Strumeā ab herba-
 rijs dici Plinius meminit, quoniam medeatur strumis, & panis parte in fumo sus-
 pensa: vel ideo forsitan quod strumosa cōspiciatur radice. Sunt qui vocent apiastrū,
 quod folijs apium æmuletur: quanquā multi pro melissophyllo vsurparint. **A**ne-
 mone flos nunquam se aperit nisi spirante vento, vnde nomē accepit: siquidem
 efflatu venti statim flores dehiscunt, & in folia sese explicant. **A**rgemonæ no-
 men effectus attribuit, sic dicta, quòd albugines & oculorum vitia quæ vocant
 argema, ac nubeculas abigat. vel forsitan quòd venenis & serpentibus aduersetur
 nomē habeat, cum sit Arges Hippocrati nomen anguis, vt Galeno placet.
Hederam Pompeius dictam censet quòd hæreat, vel potius quòd edita pe-
 tat, vel quia id cui adhæserit edat. In tutela Liberi patris putabatur esse: nam vt
 ille iuuenis semper, ita hæc viret. Nec secus omnia sicut ille, mentes hominum
 illigat. Athenienses Citton, vt Pausanias tradit, Bacchum appellarunt, quo no-
 mine rigens hederam quæ sine adminiculo stat, sola omnium generum ob id vocata
 est cissos: ediuerso nunquā nisi repens humi, chamæcissos. Cisson, hoc est hede-
 ram pusionē Liberi patris fuisse Græcia confinxit, in nominis sui fruticē cōuer-
 sum, dū minister cū eo Deo saliens, allisus terræ perijt. Athenienses antiquissimi
 duas literas σ & τ. promiscuo vsu alternabant. quare & cisson & citton reliqua
 Græcia protulit. **D**ionysiam à Baccho, id est bacchicā appellauit antiquitas,
 hoc honore Liberum patrē dignata, qui primus ex Indis in Græciam hederam
 asportauit. **C**helidonio vel si placet, hirūdinariæ hirundo auis quæ Græcis
 χελιδόνι dicitur, nomen indidit: vel quòd hanc primū inuenit & oculis pullorum
 in nido restituit visum, vt quidam volunt, etiam erutis: vel quòd florent aduen-
 tu hirundinum, discessūq; cōmarcescunt. pandioniam quidam è Græcis quoque
 nominauerunt à Pandione Atheniensium rege. Is autem Prognen genuit quam in